DE

VITALE BLESENSI

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

A. BOZON

IN CARMELITARUM SCHOLA QUONDAM ALUMNUS

ROTHOMAGI

EX TYPIS GIROUX ET FOUREY

VIA DICTA DE L'HOPITAL, 25.

MDCCCLXXX

DE

VITALE BLESENSI

DE

VITALE BLESENSI

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

A. BOZON

IN CARMELITARUM SCHOLA QUONDAM ALUMNUS.

ROTHOMAGI

EX TYPIS GIROUX ET FOUREY

VIA DICTA DE L'HOPITAL, 25.

MDCCCLXXX

DE

VITALE BLESENSI

CAPUT PRIMUM

VITALIS BLESENSIS QUÆ POEMATA ET CODICES IN PRÆCIPUIS EUROPÆ BIBLIOTHECIS ET IN PRIMIS IN BIBLIOTHECA PARISIENSI SUPERSINT. QUÆ NOMINA IISDEM OPERIBUS ADSCRIBENDA.

Poetica latina, singulis medii ævi ætatibus, quanquam prorsus ab antiquo illo more degeneraverat, et pessimorum vitiorum labe sese infecerat, suos habuit amatores qui impensam ei operam dedere. Nec pauci versificatores æqualibus adeo probata protulere poemata, ut in scholis grammaticorum una cum optimis antiquitatis scriptoribus ediscerentur et omnium consensu eumdem locum obtinerent. Quorum in numero Vitalem Blesensem fuisse traditum est, et eumdem eximiam ætate sua assecutum esse famam. Duo sub ejus nomine feruntur carmina,

quorum unum *Amphitryon*, alterum autem *Aulularia* inscriptum est. Utrumque illius temporis homines valde delectavit atque exhilaravit. Vitalis ipse nos hac de re in alterius carminis prologo certiores facit :

Amphitryon nuper, nunc *Aulularia* tandem
Senserunt senio pressa Vitalis opem (1).

Ex duobus his operibus *Aulularia* primum, an. 1595, per H. Commelinum in lucem prodiit. Is cum *Queroli*, quam incertam Plauti fabulam Danielus, deinde Rittershusius emiserant, novam editionem typis mandare curaret, eidem Vitalis *Aululariam* subjunxit, ut quum ex ipsius epistola ad Rittershusium amicum manifestum est (2), tum Plauti *Querolo* « ex Typographeïo H. Commelini (3) » confirmatur (4). *Aululariæ* autem prologus quamvis saltem alteram fabulam ab eodem Vitale conscriptam admoneret, nemini tamen in mentem venit *Amphitryonem* illam quæ olim tam popularem esset laudem assecuta in bibliothecarum thesauris conquirere.

Eamdem vero ex codice membranaceo qui in bibliotheca Vaticana Romæ reperitur, primum Em. Card.

(1). Vit. *Aul.* versus 27-28.

(2) Hæc est H. Commelini ad Rittershusium epistola : « Gratum acceptumque habemus, Rittershusi amicissime, *Querolum* tuum cum D. Joachimi Camerarii mss. collatum. Quidni enim tuum vocemus quem quasi postliminio ab ipso revocasti Orco ? Certe primus germanico communicas orbi ? Cui ne parum videamur habere honoris, en tibi redhostimentum, alterum Querolum ex tuo illo natum, et jam recens a nobis in lucem editum, diverso tamen a parente habitu. »

(3) Plauti *Querolus* a Commelino ed. pag. 1.

(4) Hunc titulum fert H. Commelini editio : « Plauti *Querolus* sive *Aulularia* ad Camerarii codicem veterem denuo collata, eadem a Vitale Blesensi elegiaco carmine reddita et nunc primum publicata. »

Maius, anno 1833 (1) edidit; iterum Fred. Osannus professor Gissensis, ex duobus bibliothecæ Darmstadiensis codicibus ad multos alios codices collatis, an. 1836, idemque huic carmini ejusdem auctoris *Aulul ariam* subjunxit (2). Quam editionem, an. 1838, Londini, Thom. Wright typis mandandam curavit (3). Adde eamdem fabulam *Amphitryonem* a Mullero antiquarum litterarum professore ex codicibus Bernensibus, an. 1840 (4), et ab Anat. de Montaiglon ex quinque bibliothecæ Parisiensis codicibus, an. 1848 (5), esse emissam.

Ex hac breviori enumeratione intelligi maxime potest quam multi *Amphitryonis* codices vetustatem vicerint atque ad hanc nostram usque ætatem pervenerint; de quibus nunc agendum est.

Vaticano quidem uno, sæculo XIV° in membrana exarato qui inter Theoduli *Eclogam* notissimam et Prudentii *Psychomachiam* invenitur, Maius in describendo carmine usus est ; eumdem cum altero de cujus conditione nihil admonuit, duobus locis contulit (6). Darmstadienses autem duo codices membranacei quos Osannus in usum suum adhibuit, a diversis librariis, forma oct^a^, descripti, miscella continent et ad XIV^um^ sæculum aut XV^i^ initium sunt referendi (7). Tres Bernenses Mullerus in manibus habuit,

(1) Classicorum auct. e Vat. Codicibus edit. tom. V, p. 455.

(2) Vit. Blesens. *Amphitry* et *Aulular.* ab Osan. edit.

(3) Vid. *Hist. Litt. de la France,* tom. XXII, p. 42.

(4) Analect. Bernensium particula II.

(5) Biblioth. de l'Ecole des Chartes, 2e série, tom. IV, p. 474.

(6) Classicorum auctorum, tom. V, p. 466 et 470.

(7) Ex duobus Darmstadiensibus codicibus, alter præstantior littera D, alter autem fine mutilus littera F ab Osanno notatus.

quorum unus, membranaceus, sæculo XII° vel XIII° exaratus, initio quidem nullum titulum, in fine vero hæc verba : « *explicit comœdia* » exhibet, et longe optimus habetur, reliqui autem duo, chartacei vix ad XVum sæculum referuntur (1). Quibus septem codicibus adjice duo alios membranaceos bibliothecæ Monacensis, quorum unus sæculi XIIi esse existimatur (2). Unum etiam bibliothecæ bodleianæ, alterumque Cottonianæ codicem Thomas Wartonus in historia Briticæ poesis anglice scripta commemorat (3). Jannellius autem Neapolitanum, et Bandinius Mediceum codicem, utrumque membranaceum, et sæculo XIV° descriptum enarrant (4). Denique de Mediolanensi a Johan. Mart. de Massa exarato J. V. Le Clerc, olim hujus Facultatis parisiensis decanus (5); de Vindobonensi in catalogo codicum philolog. latin.

(1) Vide codicum Bernensium catalogum ab Hagen editum, in quo comœdia *Geta* continetur : 1° codice chartaceo sæculi XV, n. 539, 5; 2° codice etiam chartaceo ejusdem sæculi, n. 550,33 (in hoc codice carminis tantum legitur fragmentum); 3° in codice membranaceo XIIi vel XIIIi sæculi, n. 702, 30.

(2) Ex his duobus Monacensibus unus (M) n. 212, membranaceus, continet præterea alia poetica; alter (m) sæculi XII exhibet Virgilii, Horatii, Ovidii carmina, expositionem in Ovidii *Metamorph.* libros et alia, inter quæ hoc quoque carmen nostrum. (Vid Muller. Analect. Bernen., part. II, p. 12.)

(3) Vide Vit. *Aulul.* ab Osan. edit. p. XII, et Mulleri Analect. Bernens. etc., p. 13.

(4) Vide Catalogum bibliothecæ latinæ veteris et classicæ manuscriptæ, quæ in regio Neapolitano Museo Borbonico adservatur, descriptum a Cataldo Jannellio Neap. 1827, p. 181, et Catalogum Codicum lat. biblioth. Medic.

(5) « Aux nombreux manuscrits consultés ou indiqués par l'éditeur de Paris ou par ses devanciers, il faut joindre, outre quelques fragments compris dans le Flores metrici de l'ancienne abbaye de Saint-Victor de Paris, un manuscrit de la bibliothèque de Brera à Milan, que M. Mai n'a point connu et qui

Endlicherus (1), et de Matritensi quodam, chartaceo, sæculi XIV[i], Osannus (2) mentionem inducit.

Hæc vero enumeratio nostra quinque bibliothecæ parisiensis codices non omittet, qui in codicum latinorum catalogo n. 8509, A, 8430, 8207, 8247, 8413 præferunt, quosque secundum hunc ordinem litteris A, B, C, D, E, ut ipse Anat. de Montaiglon (3), notabimus; et diligentius cui ætati atque familiæ unusquisque adscribendus, quantaque fide dignus sit perpendemus.

Codex A, n° 8509, membranaceus, in-octavo, sæculo XIII° vel XIV° descriptus, varia poematia exhibet. In quo subjungitur carmini *Pamphili* nomine inscripto Vitalis *Amphitryon* quæ incipit a fol. 24° et fol. 27° desinit; initio quidem sine titulo est, in fine autem hi versus leguntur :

Carmina Vitalis fert fama parentibus alis
Ipso defuncti viri quoque psallite cuncti.
Dextera scriptoris cum Christo vivere poscit.

Ardua quidem hujus codicis lectio. Scriptura enim modo breviata, modo antiqui librarii imperitia atque

devait échapper à tous ceux que trompait la fausse désignation du catalogue, reproduite dans les archives de M. Pertz « Joh. Mussæ *Amphitruon* ». Des recherches faites sur notre demande par M. Ernest Renan (Milan, 15 juin 1850) nous permettent de rectifier cette erreur. Le dernier vers, comme dans un de nos manuscrits, est suivi du distique :

Explicit hic Geta, deceptus ab Arcade summo
Vitalis Blesis explicit *Amphitryon*.

C'est donc la copie qui est de Jean de Mussa (Hist. litt., t. XXII, p. 42.)

(1) Vide Analect. Bernens. particula II, p. 12.

(2) Vide Vit. Blesensis *Amph.* et *Aulul.* ab Osanno ed. p. XII.

(3) Biblioth. de l'Ecole des Chartes, 2e série, tom. IV, p. 482-485.

inscitia corrupta, et in quibusdam foliis tempore pæne deleta.

Codex B, n° 8430, membranaceus, sæculi XIV[i], miscella inter quæ multa Ovidiana, continens, fuit olim Nicol. Heinsii ex dono Jacobi Mantell, ut prima voluminis pagina indicio est. Cui poemati a folio 67° usque ad 71[um] pertinenti hæc verba prætenduntur : *incipit Geta ;* in fine autem reperire est :

> Explicit hic *Geta* liber ridiculosus
> Finito libro sit laus et gloria Christo.

In codice C, n° 8207, membranaceo, sæculi XV[i], miscella partim soluta oratione, partim versibus expressa reperiuntur. Pars autem qua continetur *Amphitryon* fabula, elegantioris scripturæ est, multisque notationibus in margine et inter lineas ornata. Qui codex incipit a folio 24° et folio 32° desinit, fine mutilus.

Duo præterea codices chartacei sæculi XV[i] exeuntis, ambo cursim raptimque a librario aliud agente exarati, multis scripturæ vitiis laborant. In altero quem littera D notavimus, n° 8247, non pauca vel omissa sunt vocabula vel mutilata. Versus autem claudo pede incedunt aut etiam omni sensu carent. Pars in qua legitur *Amphitryon* fabula paucis notationibus interscriptis ornata a folio 54° usque ad 74[um] pertinet. Alterum in Italia Petrus Celanensis (1), ut ipse ait, « de nocte festinanterque » descripsit. Quo in codice n° 8413, littera E, poemati huic nostro folia duo tantum 33 et 34 obtinenti hæc præmissa sunt quidem verba : « incipit opusculum *Getæ*, *Amphitryonis* et

(1) Id est : Celani natus, in oppido regni cujus caput olim fuit Neapolis. (Bibl. de l'Ecole des Chartes, 2[e] série, tom. IV, p. 485.)

Alcmenæ, et Byrrhia est servus. Dicit n. ita quidem Joannes P. cognominatus (1). » In fine autem hoc distichon :

Explicit hic Geta deceptus ab Arcade summo.
Vitalis Blesis explicit *Amphitryon.*

In codicibus A, B, C, versus 285 et 286 (2) ; in codice autem D versus 205 et 206, 207 et 208, 209 et 210-293 desiderantur (3). Hos sequentes unus codex E exhibet :

Singula prospiciens, re talem prospiciebat.
Qualis et es, Geta es ; sum quoque talis ego (4).
. . . .
Jupiter hunc fallat qui me nihil esse probabit
Et mihi vindictam tribuat alta regens (5).

Sed in hoc codice desunt versus 393 et 394 (6), qui in cæteris codicibus reperiuntur. Notandum etiam quam multis in locis duo chartacei D, E, a consueto membranaceorum codicum ordine abhorreant. Hæc vero vitia, quæ referre longum et minime ad rem, in primis scribarum imperitiæ tribuenda videntur. Inde intelligitur

(1) Ibid.

(2) Janua me dudum reserato cardine cepit ?
Quid loquor, ut subeam ? proh furor ! intus ego. (Cod. Mull. Anal. v. 285 et 286.)

(3) Byrrhia sum, mi Geta, tuus, tua saxa repone,
Vivat ut obsequio Byrrhia, Geta, tuo.
G. : Ergo caput profer. — B : jam profero, saxa remittas,
Ne caput hic pereat ad tua saxa meum.
Cessat hic, hic exit cui Geta : Qui ergo latebas ?
Posset ab incauto mors tibi sæva dari. (Codex A 209-210.)
. . . .
Clamat : ades qui voce refers et nomine Geta. (Ib 293.)

(4) Ms. D, v. 365-366.

(5) Ms. D, v. 382-383.

(6) Jam satis est, Geta, respondit Geta stupetque
Dicta recognoscit et fore nota dolet. (V. 393 et 394.)

hos duo B, E, vix dignos esse qui inspiciantur; illos autem tres A, B, C, de quibus supra dictum est, multo magis probandos. Iidem tres inter se lectionum varietate differunt. Sed hujus modi discrimina plerumque leviora sunt. Nam vocales : a, e, o, u ; pronomina : ille, iste, ipse; conjunctiones : et, ut, dum et cum, etc., verborum modi et tempora, vocabula idem significantia aut similibus fere litteris scripta, crebro alia pro aliis usurpantur. Sunt etiam aliæ lectionum discrepantiæ minus leves quæ interdum genuinum versus sensum adulterant. Sed has qu[illegible] non secus atque illas scribarum incuriæ et [illegible] endas dixerim, eo magis quod multæ glossæ, [illegible] tiones, e collatione ad plures codices pro- [illegible] neas scribebantur. Unde rudis librarius [illegible] as pro [illegible] iderate ponebat, quibus propriæ temeritatis v[illegible]. Itaque quem descripserat codex, hic ab il[illegible] sibi sequi visus erat, longe discrepabat.

Adde tres codices A, [illegible] n codicis A distichon cujus infra mentio erit, e[illegible] dem ordinem et præterea duo priores A et B eu[illegible] m numerum referre. Itaque ambo eidem fami[illegible] di. Codex vero C cum illis ex omni parte cong[illegible] n fine mutilus sit, ad quam familiam pertineat, [illegible] ile judicaveris.

Idem codex C fere omnibus scripturæ vitiis [illegible] gatus. Nec paucas animadverteris interscriptas q[illegible] lectionum discrepantias, ut jam dixi, tum in prim[illegible] notationes quibus res ambiguæ explicentur. Unde haud scio an intelligi possit eumdem versatum esse manu alicujus viri, ut illis temporibus, litterati qui ex cathedra

fabulam interpretari sese professus sit. Sed ultimum codicis folium manus impia laceravit, versusque sex et viginti desunt.

Reliqui autem duo minus emendati integritate præstant. Quod si utrumque invicem contuleris, uter meliores atque puriores suppeditet lectiones et potior sit non ita facile dixeris. Sed ob id ipsum anteponendus codex A utpote antiquior et forsan ad aliquem codicem Vitalis ætate exaratum collatus. Ex quo hunc propius accedere codici principi a Vitali edito conjicere licet.

Ut vero quæ supra dicta sunt magis in aperto sint et planius appareat quam leviter tres membranacei codices A, B, C inter se differant, pauca e multis eligenda et alia cum aliis conferenda.

Tria igitur hæc loca certe præcipua et iis annumerata quæ lectionum varietate inter se vel maxime dissentiunt, legentium oculis subjiciam : primum Jupiter cæco amore in Alcmenam captus ejus amplexibus hæret, Amphitryonis ad similitudinem compositus ; deinde Geta ex Athenarum scholis redux, omni doctrinarum supellectile instructus, profitetur se brevi appellatum iri magistrum ; tandem Mercurius Getam mentitus veram sinceramque sui imaginem describit, eamque non formosam.

I

Codex A

Oscula multiplicant dant iterantque data.
Temperat Alcmena, castigat et oscula *blandit.*
Et sua virgineo verba pudore domat.
Luxuriat deus, ore premens os lambit hiulco,
Et mœchum sapiunt oscula, *verba* Jovem
Dependet collo Jovis illa premitque beato
Pondere colla *dei :* sic amat ille premi
Non equidem mage læta Jovem complecterer ipsum
Dixerat atque Jovem comparat *illa* Jovi.
Oscula *confundunt.* Jam Jupiter acrius ardet.
Claude fores, Geta, dixit, et *obde* seram.
Nautæ si veniant, hominum genus acre *repelle :*
Nemo fores subeat ; janua *limen habet.*
Nos habeat thalamus *secretior.* Annuit Arcas.
Hos recipit thalamus ; obserat ille fores.
Ipsa loci facies invitat ad oscula quemque,
Jam mora nulla placet, jungit utrumque torus.

Codex B

Oscula multiplicant dant iterantque data.
Temperat Alcmena, castigat et oscula *blande*
Et sua virgineo verba pudore domat.
Luxuriat deus, ore premens os lambit hiulco,
Et mœchum sapiunt oscula *blanda* Jovem
Dependet collo Jovis illa premitque beato
Pondere colla *Jovis :* sic amat ille premi.

Non equidem mage læta Jovem complecterer ipsum,
  Dixerat, atque Jovem comparat *illa* Jovi.
Oscula *confundunt*. Jam Jupiter acrius ardet.
  Claude fores, Geta, dixit, et *adde* seram.
Nautæ si veniant, hominum genus acre *repellas*.
  Nemo fores subeat, janua *limen amet*.
Nos habeat thalamus *secretius*. Annuit Arcas.
  Hos recipit thalamus, obserat ille fores.
Ipsa loci facies invitat ad oscula quemque :
  Jam mora nulla placet, jungit utrumque torus.

Codex C

  Oscula multiplicant, dant iterantque data.
Temperat Alcmena, castigat et oscula *blande*
  Et sua virgineo verba pudore domat.
Luxuriat deus, ore premens lambit hiulco,
  Et mœchum sapiunt oscula *blanda* Jovem.
Dependet collo Jovis illa premitque beato
  Pondere colla *dei :* sic amat ille premi.
Non equidem mage læta Jovem complecterer ipsum,
  Dixerat, atque Jovem comparat *ipsa* Jovi.
Oscula *multiplicant*. Jam Jupiter acrius ardet.
  Claude fores, Geta, dixit, et *adde* seram.
Nautæ si veniant, hominum genus acre repellas.
  Nemo fores subeat, janua *limen amet*
Nos habeat thalamus *secretior*. Annuit Arcas.
  Hos recipit thalamus, obserat ille fores.
Ipsa loci facies invitat ad oscula quemque :
  Jam mora nulla placet, jungit utrumque torus (1).

(1) Vit. *Amp.* v. 90-105.

II

Codex A

...... Væ, væ mihi dixit, Athenis,
  Dicere longa mora est, quæ mala *quotve* tuli...
Sed pretium pœnæ miranda sophismata porto,
  Jamque probare scio, quod sit asellus homo.
Sum logicus faciam quævis animalia cunctos.
  Byrrhia, qui nimis est lentus asellus erit.
Dum mihi me reddunt patinæ, domus, uncta popina,
  Hos asinos illos esse probabo boves.
Byrrhia sic secum quid Byrrhia fiet asellus
  Quod natura dedit, auferet ille mihi.
Byrrhia sic Getæ, quæcumque *problemata solvet*
  Respondebit, erit Byrrhia semper homo.
Hoc etiam didici, quod res nequit ulla perire
  Quod semel est aliquid, non nihil esse potest.
. . . .
Gaude, Geta, tui jam præteriere labores
  Otia jam redeunt, jam tibi parta quies.
Assurgunt Getæ redeunti *Santia*, Sanga,
  Dannus et *applaudit* cætera turba tibi.
Accrescit mihi nomen, dicar Geta magister.
  Terrebit cunctos nominis umbra mei.

Codex B

...... Væ, væ mihi dixit, Athenis
  Dicere longa mora est, quæ mala *quidve* tuli...
Sed pretium pœnæ miranda sophismata porto
  Jamque probare scio, quod sit asellus homo.
Dum mihi me reddunt patinæ, domus, uncta popina,
  Hos asinos alios esse probabo boves.
Sum logicus faciam quævis animalia cunctos,
  Byrrhia qui nimis est lentus asellus erit.

Byrrhia sic secum : quid Byrrhia fiet asellus
  Quod natura dedit auferet iste mihi.
Byrrhia sic Getæ, quæcumque *problemata ponit.*
  Respondebit, erit Byrrhia semper homo.
Hoc etiam didici, quod res nequit ulla perire
  Quod semel est aliquid, non nihil esse potest.

. . . .

Gaude, Geta, tui jam præteriere labores
  Otia jam redeunt, jam tibi parta quies.
Assurgunt Getæ redeunti *Samnio* Sanga
  Davus et *applaudit* cætera turba tibi.
Accrescit nomen mihi, dicar Geta magister,
  Terrebit cunctos nominis umbra mei.

Codex C

...... Væ, væ mihi, dixit Athenis
  Dicere longa mora est, quæ mala quotve tuli...
Sed pretium pœnæ miranda sophismata porto
  Jamque probare scio, quod sit asellus homo.
Dum mihi me reddant patinæ, domus, uncta popina
  Hos asinos illos esse probabo boves.
Sum logicus faciam quævis animalia cunctos
  Byrrhia qui nimis est lentus asellus erit.
Byrrhia sic secum; quid Byrrhia fiet asellus
  Quod natura dedit auferet iste mihi.
Byrrhia sic Getæ, quæcumque *sophismata solvat.*
  Respondebit, erit Byrrhia semper homo
Hoc etiam didici, quod res nequit ulla perire
  Quod semel est aliquid, non nihil esse potest.

. . . .

Gaude, Geta, tui jam præteriere labores
  Otia jam redeunt, jam tibi parta quies
Assurgent Getæ redeunti *Samnio,* Sanga
  Dannus et *applaudet* cætera turba tibi.
Accrescet nomen mihi, dicar Geta magister
  Terrebit cunctos nominis umbra mei (1).

(1) Vit. *Amph.* v. 157-238.

III

Lectiones codicum A, B, C, tertio hoc loco non multum inter se discrepant. Idcirco quas codex A exhibet, eas tantum referam, sed diligenter notato quidquid in codicibus B, C, dissimile reperitur.

Totus inaudita fœdaque nigredine damnor
Atque color membris omnibus unus inest;
Sum velut Æthiopes, aut quales India mittit.
Æterna (B assidua) cæditur (B leditur) (C scinditur) atra cutis.
. . . .
Hirsutum caput est, et cinctum crine caprino
Frons brevis et naris longa. Rubent oculi.
Menta genasque tegit et obumbrat silva pilorum
Collaque longa mihi sunt humerique breves.
Sic tumeo ventre quod dicar (B et C dicor) hydropicus esse,
Et stomachus parvum nescit habere modum,
Zonaque nulla potest hunc castigare tumorem.
Cum pane absortis dum tumet (C contumet) alvus aquis
Deest spatium lateri, deest renibus. Hispida crura
Sunt mihi, quæ scabies ut sua regna tenet.
Mens mihi de crebro singultu colligit umbram (B et C iram)
Ad curtum (C curvum) venter tenditur usque genu (1).

Ex his locis codicum A, B, C unicuique qualis fides adhibenda sit facile intelligitur. Quæ de codice C paulo ante diximus etiam leviter inspicienti in aperto sunt, hunc duobus cæteris meliorem esse magisque expurgatum. Quare eumdem, si integer esset, in universis lectionibus prætulerim.

Si vero codices A et B alterum alteri comparaveris, ex variis lectionibus quæ supra animadversa sunt, aliæ

(1) Vit. *Amph.* v. 333-348.

idem prorsus valent : ut *colla dei et colla Jovis*; *acre repelle et acre repellas*; *nos habeat thalamus secretior* et *nos habeat thalamus secretius*; aliæ autem codicis A præstantiores. Malim enim *mœchum sapiunt oscula, verba Jovem* quam *mœchum sapiunt oscula blanda Jovem*. Oscula et verba inter se pugnantia et opposita, meo quidem judicio, sensum quemdam novum et lepidum efficiunt, insulsum vero et ineptum oscula et blanda inter se juncta. Quæ locutiones : *obde seram; problemata solvet*; *æterna scabie cæditur* pleniorem sensum significant quam quæ iisdem codicis B locis occurrunt : *adde seram*; *problemata ponit*; *assidua scabie læditur. Quæ mala quotve tuli hos asinos, illos esse probabo boves* magis quam *quæ* mala *quidve* tuli; *hos asinos alios esse probabo boves* grammaticæ præceptis consentiunt. Hæ vero codicis B lectiones : *janua limen amet*; *mens mihi de crebro singultu colligit iram* illis quas suppeditat codex A : *janua limen habet*; *mens mihi de crebro singultu colligit umbram* anteponendæ sunt.

Duo etiam disticha quæ supra notavimus, ordine genuino sensui et optimorum codicum lectionibus congruente codex B disposuit.

Ex his igitur codicem A pro fundamento lectionis concinnandæ sumendum esse, sed cum aliis, tum in primis codicibus B et C conferendum maxime intelligitur. Hanc ipse rationem, cum infra *Amphitryonis* versus referam, diligenter sequar (1).

(1) Præter quinque codices quos supra nominavi, fuit etiam in bibliothecæ Parisiensis thesauris sextus quidam n° 8498 membranaceus, sæculo XIV° exaratus, ut fert catalogus, sed non comparet in hac voluminum turba et utique amissus est.

Jam vero quæ nomina duabus Vitalis fabulis præscripta sint breviter dicendum. Alteram quæ a verbis : *Græcorum studia* incipit, *Amphitryonem* auctor ipse appellavit, alteram autem *Aulul ariam*(1). Eadem *Amphitryon* codicibus B et C bibliothecæ Parisiensis *Geta* inscripta est, codicibusque C et D *Amphitreydos* liber (2) ; ab Ang. autem Maio de *Amphitryone* et *Alcmena* poema (3) ; ab Osanno *Amphitryon* (4), a Mullero *Geta* (5), atque ab An. de Montaiglon Getæ et *Birriæ* liber sive *Amphitryoneis* (6). *Aulularia* vero a Commelino dicta est : *Vitalis Gallicus de Querulo* (7). Sub calcem autem carminis invenire est : « Vitalis Gallici Blesensis *Aulularia* explicit feliciter, » ex codice, ut Osanni fert opinio, qui ad ipsius Vitalis exemplum ei *Aululariæ* titulum præfixit (8). Hoc vero libello, altera fabula *Amphitryon* vel *Geta*, altera autem *Querulus* vel *Aulularia* indiscriminatim vocabitur.

(1) Vit. *Aul.*, n. 23-24.

(2) Biblioth. Paris. Fonds lat., n. 8430, 8413, 8207, 8247.

(3) Classicorum auctorum, tom. V, pag. 455.

(4) Vit. Blesens. Eclog. pag. 1.

(5) Anal. Bern. part. 11, pag. 13.

(6) Bibl. de l'Ecole des Chartes, 2e série, tom. IV, pag. 487.

(7) Plauti *Querol.* sive *Aul.* ex Typographeïo Commelini, pag. 55.

(8) Vit. Blesens. Eclog. ab Osan. ed., pag. 33.

CAPUT SECUNDUM

DE VITALIS ÆTATE, VITA ET NOMINE.

Incerta sunt usque ad hanc diem Vitalis Blesensis tempora et inter doctissimos scriptores qua ætate natus sit atque vixerit, ambigitur. Sunt qui nostro poetæ sæculum XIII^um^ aut etiam XIV^um^ assignent (1). Sed in hoc falluntur et hujus sententiæ nulla afferunt indicia, aut si qua afferunt, ea probe falsa et omnino rejicienda. Nam consentiunt omnes quibus Vitalis aliquatenus innotuit, illum saltem sæculo XII° exstitisse. Argumenta tamen quibus inductus Fournierius putaverit (2) eumdem carmen suum *Aululariæ* nomine inscriptum, anno 1186, edidisse, minime firma fuisse videntur, cum ea auctores historiæ quæ gallice dicitur *Histoire Littéraire* etc., omittant; neque ipsi ejusdem operis auctores, qui Vitalem sæculo XII° exeunte exstitisse opinantur, ullo certo indicio rem confirmant (3). Minus infelix opere fuit Osannus, quippe qui primus certum tempus constituerit quo non recentior Vitalis exstiterit. Duo autem ille testimonia ad suam sententiam tuendam adhibet, quorum unum e bibliothecæ Darmstadiensis codice in quo opus quoddam

(1) *Hist. Litt. de la France,* tom. XXII, pag. 45.

(2) Ib., tom. XV, pag. 429. Ad Fournierii sententiam accedit J.-C. Orellius qui an. 1830 Turici librum edidit ita inscriptum : *Ciceronis orator, Brutus* et *Topica,* et ei pag. LXXII præfatur : « Circa idem tempus (1184) Vitalis Blesensis totum *Querolum* « carmine elegiaco expressit, ut item *Amphitryonem* Plauti; « cujus *Amphitryonis* nondum editi atque in deperditis habiti a « script. *Hist. Litt. Gall.,* tom. XV, pag. 131, duo exstant codices « in bibliotheca Bernensi. »

(3) *Hist. Litt. de la France,* tom. XV, pag. 428.

Jeremiæ Paduani (1) *Compendium Moralium Notabilium* inscriptum legitur, alterum e libro *Æquivocorum* Matthæi Vindocinensis sumpsit. Jeremias quidem compendio auctorum ex quibus se opus suum compilasse profitetur indicem præfixit, in quo iidem auctores non temere, sed secundum ordinem ætatum laudati esse dicuntur, atque hæc deinceps nomina inter alia plurima retulit :

Johannes Sarisberiensis anglicus
Auctor libelli qui dicitur facetus
Auctor libelli qui incipit *Græcorum studia*
Auctor rudium doctrinæ
Baldo versilogus
Hugo de Sancto Victore religiologus, etc.

In quo indice cum auctor *Amphitryonis,* scilicet, libelli « qui incipit *Græcorum studia,* » post Johannem quidem Sarisberiensem, sed ante Baldonem et Hugonem de Sancto Victore nominetur, Osannus illi Jeremiam sæculum XII^{um} fere medium assignasse putat (2); sed hoc argumentum non firmum esse atque in eo Osannum errasse Mullerus existimat, additque non de industria, sed potius casu aliquo, illud carmen Jeremiam hoc loco in indice suo laudavisse. « Nam non veri quidem simile est, inquit,

(1) Titulus operis a Jeremia edit. : *Compendium Moralium notabilium* compositum per Jeremiam judicem de Montagnone civem Paduanum. Apud Osan. præf., pag. VII.

(2) Parcissime tamen, inquit Osannus, carmine nostro usus esse videtur ; si quidem unum carminis distichon, quod v. 245 legitur, diligenter perlustranti Federo excerptum sese obtulit, part. IV, lib. 4, tit. 18, qui « de munditia, pulchritudine et ornatu humani corporis » agit. Auctoris quidem nomen Jeremias, qui an. 1300 vita decessit, ignorasse videtur; ceterum, in syllabo scriptorum haud temere, sed, ut ipse ait, secundum temporum rationem confecto, post Johannem quidem Sarisberiensem, sed ante Hugonem tamen (nam de reliquis difficilior quæstio est) collocans, sæculum ei XII° fere medium assignasse putandus est. » Vide Osannum in præf., pag. VIII.

« Jeremiam illius carminis auctorem ignorasse, sed quo « tempore carmen compositum sit scivisse : conjunxit « potius, temporis ordine omisso, in catalogo operum, « quibus usus est, auctores trium librorum incogni- « tos (1). »

Alterum vero argumentum a Matthæo Vindocinensi sumptum multo firmius esse confirmat Mullerus ; itaque integrum, quale interpretatur ipse, referendum est. « Hæc enim (2), ait, in codice Darmstadiensi Matthæi, « fol. 141, articulo de voce *lentus* leguntur, Osanno « referente (3) : Quandoque piger, unde Ovidius epistola « (*Heroid*, I, 1) :

Hanc tua Penelope *lento* tibi mittit Ulysses,

« et in *Geta* :

Byrrhia qui nimis est *lentus* asellus erit.

« Qui versus non Ovidii, sed Vitalis Blesensis est, et in « ejus carmine *Geta* legitur 167. Vixit igitur Vitalis ante « Matthæum Vindocinensem. Quum vero hic Matthæus « carmen suum, quo totam Tobiæ historiam narrat Bar- « tholomæo Vindocinensi, qui anno 1174 archiepiscopus « Turonensis factus, anno 1206, hoc munere ornatus, « mortuus est, dedicaverit, eoque natu minor fuisse « videatur, Matthæus sub finem sæculi XII[i] mortuus est. « Illo igitur tempore carmen Vitalis Blesensis non solum « valde cognitum erat, non solum eadem qua Gualtheri « *Alexandreis* diligentia legebatur, sed etiam, quod « mirum est, verus auctor ignorabatur, et nonnun- « quam, certe a Matthæo Vindocinensi, carmen Ovidio « adscribebatur, ut ex loco, quem supra adscripsi satis

(1) An. Bern., part. II, pag. 7.
(2) Ib., pag. 5.
(3) Vid. Osan. præf., pag. VIII.

« clarum est. Certum est igitur sæculo duodecimo jam « auctorem carminis quod incipit *Græcorum studia* « incognitum fuisse. »

Ni fallor autem, Matthæi Vindocinensis locum supra laudatum Mullerus perperam interpretatus est. Documento enim est locus ille *Getam* seu *Amphitryonem* fabulam, tempore quo emissus est liber *Æquivocorum*, insignem adeptam esse laudem, et eidem singularem auctoritatem tribui solitam, cum hoc carmen una cum ipso Ovidio ad genuinum vocabuli sensum declarandum adhibitum sit (1).

Quare Mullero assentimur dicenti Vitalis Blesensis carmen quod *Geta* inscriptum est sæculo XII° valde cognitum fuisse (2); sed cætera quæ protulit a vero prorsus abhorrent. Etenim Mullerus a Matthæo Vindocinensi *Getam* carmen Ovidio certe adscriptum esse dum asseverat, erravit, nec sententiæ vim intellexit, quam e libro *Æquivocorum* supra extulimus (3). Hujus quidem sententiæ quæ his verbis exprimitur « unde Ovidius epistola (*Heroid* I, 1) etc., et in *Geta* etc., » hæ voces « in *Geta* » non ad Ovidium, sed ad poetam ab illo prorsus diversum referendæ sunt, ipsaque sententia sic explicanda atque illustranda « unde Ovidius epistola (*Heroid* I, 1) ait, etc., et in *Geta* qui incerti est auctoris

(1) Vir nomine Gerhoh, qui an. 1169 mortuus est, vitasque beatorum abbatum Formbacensium Berengeri et Wirntonis conscriptas reliquit, hæc habet verba a Pezio in *Thesauro Anecdotorum* relata : « Procedebat autem ipse, sicut crebro solebat; minister ejus, onustus copiis nummorum, ut alterum *Getam* putares, anhelus sequitur. » Libentius his verbis Vitalis carmini alludi putaverim, sed asserere non ausim.

(2) *Anal. Bern.* pag. 5.

(3) Vid. pag. 14.

legitur, etc. » Non ideo Matthæus Ovidio hoc carmen adscribere in animo habuit, sed tantum quis ejus auctor fuerit videtur ignorasse.

Non magis Mulleri, quanquam doctissimi viri, opinioni accedimus, ad sæculum X^{um} aut XI^{um} Vitalis carmen referenti; quippe quæ minime firmis indiciis confirmata sit : « Mihi vero (1) hoc carmen, inquit, X° sæculo « adscribendum esse videtur, si recte codicis Bernensis « 702 (2) eam partem, quæ hoc carmen continet, « X° sæculo Sinnerus esse judicat scriptam. » Sed ipse Mullerus litterarum ductus qui in codice inveniuntur, vix sæculi XI^{i} aut etiam XII^{i} esse fatetur, et eumdem codicem sæculo XII° aut XIII° adscribit Hagen, qui novum codicum Bernensium catalogum protulit (3). *Geta* igitur carmen non supra sæculum XII^{um} repeti potest, nec ullo Mullerus confirmat testimonio Vitalem Blesensem ætate his viris, quos in *Analectis Bernensibus* laudat, antecessisse, et per quos ait poematis latini gloriam medii ævi temporibus ad summum culmen pervenisse. Qua arte autem Amphitryonis versus scripti sint diligenter inspicienti non dubium est hoc opus sæculo XII° prodiisse; itaque illo tempore Vitalem ipsum laudem popularemque illam famam adeptum esse.

(1) *Anal. Bern.* pag. 7.

(2) Codex n° 702 in Sinneri catalogo ferens in novo ab Hagen prolato catalogo n° 702, 30 obtinet.

(3) Eum codicem his verbis enarrat Hagen, 702, sæcul. XII-XIV, membran., miscell. contin., 12°, 30 a f. 87° ad 98um. Vitalis Blesensis comœdia *Geta* sive *Amphitruo,* sinetitulo : in fine, explicit comœdia. Post versum decimum habes : expliciunt capitula. Incipit prologus. Ejus vero catalogi in indice pars codicis in qua *Geta* carmen legitur ad sæculi XII^{um}-XIII^{um} refertur.

Memoriæ enim proditum est hominum ingenia, quæ ab optimis litterarum studiis liberalibusque disciplinis barbarorum incendiis atque vastationibus aversa essent et fœdissimæ inscitiæ caligine involuta, quasi diuturna nocte circa sæculi XII[i] initia sese collegisse et ad veterum doctrinas artesque excolendas contulisse. Grammatici, quum linguæ latinæ elementis tradendis atque interpretandis multo diligentiorem operam dare, tum prosodiæ præcepta ex antiquitatis doctoribus atque ipsis poetis in certum doctrinæ corpus redigere conati sunt. Hæc vero pars disciplinarum ita rudis et indigesta jacuit, ut tres tantum pedes, dactylum, spondeum atque trochæum, cognoverint, et versuum quantitas, si hexametrum atque pentametrum exceperis, eos penitus fugerit (2). De his etiam numeris præcepta cum antiquorum præceptis minime congruentia protulere. Nonnullas enim licentias, quæ in poetarum latinorum carminibus perraro reperiuntur, in usum suum adhibuerunt omnes, ut uberior oratio nostra modo exponet. Ejusmodi vero præcepta et disciplinas sæculo XII° in lucem prodiisse et invaluisse in egregio opere, cujus titulus est *Notices et extraits des Manuscrits*, Carolus Thurot, harum rerum eruditissimus atque probatissimus investigator, testatur (3). Suorum autem hominum, non veterum, elementa Vitalem secutum esse in aperto erit, cum de ejus versificatione infra agetur.

(1) « Ex hoc igitur quoque codice (Bernensi) nihil de tempore « definiri potest, quando Vitalis Blesensis vixerit; videtur tamen « præcessisse illos viros Gallicos, qui poematis latini gloriam « adepti sunt, Serlonem, Parisiacensem dictum, etc. »

(2) *Notices et Extraits des Manuscrits,* par Ch. Thurot, Tom. XXII, part. 11, pag. 440 et seq.

(3) Ib.

Illi igitur ætati idem adscribendus est, cum licentiis quæ grammaticorum æqualium doctrina omnibus poetis concessæ essent, usum esse pro certo habeamus. Procul dubio Vitalis *Amphitryon*, sæculo XII° nondum adulto, cum circa hoc medium aut paucis post annis insignem obtinuerit laudem, emissa est. Cujus auctorem Mullerus ait illo tempore jam e memoria excidisse (1). Sed iterum in errorem incidit. Nam potius tum Vitalem, etsi poema jam celebratum in omnium manibus erat, nondum notum esse credimus.

Codices non pauci iique antiquissimi, ut Bernensis B (2), nullum auctoris nomen præscriptum habent, quanquam quo tempore nonnulli ex his codicibus exscripti sunt, non ita multi forsan anni effluxerant, postquam nostrum carmen editum erat. Quin etiam Jeremias, a quo sub sæculi XIII[i] finem *Compendium moralium notabilium* in Italia compilatum esse diximus, carmen quod a verbis *Græcorum studia* incipit, in usum suum adhibuit, sed cujus auctoris esset prorsus nesciit. Eodem fere tempore « expertissimus clericus magister *Everardus* Alemannus (3) » carmen, cujus nomen est *Laborintus*, emisit; in quo quæ grammaticorum onera sint atque munera enarrantur.

(1) *Anal. Bern.* pag. 6.

(2) Vid. sup. pag. 16, not. 5.

(3) Le poëme *Laborintus* est publié sous le nom d'Evrard de Bethune (Leyser, *Historia poetarum et poematum medii ævi.* Halle 17-21, pag. 796 et suiv.)... M. L. Delisle a retrouvé une copie de ce poëme avec des gloses dans le manuscrit 154 du fonds Bouhier, aujourd'hui 187-50 (f° 1-21v°)... La glose n'attribue pas le *Laborintus* à Evrard de Bethune, f° 1: causa efficiens dictus Everardus quasi egregius versificator, excellens rithmista, arduus rethor, dictator valde solemnis... Titulus est : incipit *Laborintus* quasi laborem habens intus, editus a magistro Everardo Alemando. (*Séances de l'Acad. des Inscript. et Bell. Lettres,* an. 1870, page 259.)

Getæ autem carminis auctor in quarta illius operis parte una cum optimis carminibus ex quibus puerorum os balbum atque tenerum effingi debet, his verbis laudatur :

Ludit Geta gemens, quia captus mercuriali
Arte Jovem lectus Amphitryonis habet (1).

Non auctoris nomen carmini subjunxit Everardus qui, ut ex ejus cognomine indicatur, extraneus fuit. Jam vero supra vidimus Matthæum Vindocinensem e cujus manibus excidisset hoc carmen ignorasse, cum liber *Æquivocorum* in medium prolatus est. Unde inferre licet Vitalem primum *Amphitryonem* fabulam, non addito nomine suo emisisse, deinde, cum eruditissimus quisque eamdem probasset, se auctorem professum esse (2). Quod saltem in *Aululariæ* prologo declarat, ut ex his verbis liquet :

Amphitryon nuper, nunc *Aulularia* tandem
Senserunt senio pressa Vitalis opem (3).

Quibus etiam confirmatur *Amphitryonem* primum, deinde *Aululariam* in lucem prodiisse. Sed quantum temporis inter utrumque opus interpositum fuerit, incertum. Nam Fournierius, qui *Aululariam* anno 1186 publici juris factam esse ait, sententiam suam nullo certo fulcit indicio (4).

Cum tamen in libro *Æquivocorum Amphitryon* laudetur, nulla vero inducatur *Aululariæ* mentio neque auctor ipse nominetur, veri simillimum est librum *Æquivocorum* a Matthæo Vindocinensi post *Amphitryonem* qui-

(1) Séances de l'Académ. des Inscrip., etc., pag. 260.
— Fabr. *Bibl. lat.* Tom. 1, lib. IV, art. de Eberhardo Beth.
(2) Vid. *Anal. Bern.* part. II, pag. 7.
(3) Vital. *Aulul.*, v. 27-28.
(4) *Hist. Litt.*, tom. XV, pag. 429.

dem, sed ante *Aulularium* prolatum esse. *Amphitryonem* autem carmen circa sæculum XII^um medium editum esse testimoniis supra allatis utique confirmatur. Idcirco ad ejusdem sæculi initia aut saltem ad proxima initiis tempora Vitalis natales referendi. Quare poetarum supra dictorum, quos natu minores ait Mullerus, Vitalis noster æqualis fuisse videtur.

Sed de ætate hactenus. Nunc de vita et patria pauca disserenda. Omnia vero monumenta de Vitale tacent; nulla enim mentio est, præter ea quæ paulo ante attulimus, apud scriptores qui earum rerum, quæ tum gestæ sunt, historiam litteris mandarunt.

Omnes tamen illum Blesis, ut cognomen Blesense demonstrat, natum esse declarant.

Ego libenter, si conjecturæ locus est, eadem in urbe putaverim festivum illum *Amphitryonis* auctorem agitavisse ætatem. Quanquam illa tempora, optimis studiis infesta et Normanorum armis et incursionibus vel maxime perterrita, quid in barbaria ultimum esset viderunt, Blesæ tamen et finitimæ regiones disciplinas et artes liberali custodia septas tenuere, et, ut potuerunt, ab armatorum impetu prohibuere. Nam memoriæ proditum est Sanctum Launomarum monasterium, imminentibus Normanis, Cenomano in castrum Blesense anno 878 translatum, postea non obscuram adeptam esse laudem; præterea ibidem Sanctam Mariam abbatiam, et Vindocinii quod Blesis non ita lato distat spatio, Sanctam Trinitatem fanum floruisse (1). Tandem fuere sæculo XI° Magduni et Andegavæ scholæ *episcopales* dictæ ex quibus insignes, ut illis temporibus, viri exstitere; qualem accepimus Baldricum

(1) Gallia Christiana, vol. VIII, col. 1351 et seq.

poetam, qui Magduni natus ibique grammaticæ elementis imbutus, Andegavam liberalissimis studiis affluentem, ut ingenium perficeret, sese contulit ; qualem Marbodum, qui eadem in urbe præstantissimi doctoris nomen habuit, et plurima poemata conscripsit ; qualem etiam Hildebertum Cenomanensem illum, qui Berengarii memoriam versibus celebravit (1).

Non igitur Vitalis putandus est e regione sua exiisse, in qua litteræ vehementius quam in reliqua Gallia colebantur, sed in ea et liberaliter educatum esse et vixisse.

(1) Vide *Hist. Litt. de la France sous Charlemagne,* par J.-J. Ampère, 3e édit., pag. 405 et seq. Quæ fuerint illis temporibus Andegavæ studia et disciplinæ dissuerit in opere cui titulus est Baudri, abbé de Bourgueil, archevêque de Dol, Henricus Pasquier, pag. 32 et seq.

CAPUT TERTIUM

AN AD PLAUTI COMICI IMITATIONEM VITALIS *Aulularia* EXPRESSA SIT.

Vitalis quidem Plauti vestigiis se insistere existimavit atque ad illius exemplum *Amphytryonem* suam atque *Aululariam* exprimere, ut hi versus documento sunt :

> Curtavi Plautum; Plautum hæc jactura beavit
> Ut placeat Plautus, scripta Vitalis emunt.
> *Amphitryon* nuper, nunc *Aulularia* tandem
> Senserunt senio pressa Vitalis opem (1).

Plauti comici fabulæ popularem quamdam atque diuturnam adeptæ sunt laudem quæ non tantum eo vivo viguit, sed etiam mortuo continuata est atque aucta. Nam cum ætate Augusti oratio latina maturitatem suam atque absolutam perfectionem obtineret, eædem etiam tunc agebantur et patribus plebique multo magis quam recentiores acceptæ erant. Unde non dubium est quin ad illarum imitationem non pauci sese composuerint, eo præsertim tempore, cum, clausis silentibusque theatris, tragici vel comici generis studiosi fabulas scriberent quas, convocatis auditoribus, ædibus subselliisque conductis recitarent (2). Quæ scripta cum nullum auctoris nomen præferrent, sæpius illi adscribebantur ad cujus imitationem erant confecta, eoque modo Plautinarum fabularum numerus singulis sæculis crescebat. Quarum maxima pars adulterina erat ætate Gellii, ut ipse testatur : « Feruntur, inquit, sub Plauti nomine comœdiæ circiter

(1) Vit. Aul. v. 25-28.

(2) Vid. Dial. de Orat. cap. IX.

centum et triginta. Sed homo eruditissimus L. Ælius quinque et viginti esse solas existimavit (1). » Quare fieri potuit, ut, cum quis veterem illum poetam imitari vellet, non ejus vestigiis insisteret, sed alicujus auctoris incerti, cujus elaboratum opus Plauto tribueretur.

Hunc autem in errorem incidit Vitalis. Ejus enim scripta quæ feruntur, cum Plauti comici fabulis, quibus idem titulus, fere nullam similitudinem atque cognationem habent, nec ad illius imitationem expressa censentur. Atque ut ab *Aulularia* incipiam, in confesso est carmen illud non e Plauto sumptum esse, sed e scriptore incerto qui fabulam *Queroli* nomine inscriptam IV° aut V° sæculo elucubravit (2).

Quam quidem fabulam Plautinam esse per totum medii ævi decursum prudentissimi viri atque, ut illis temporibus, eruditissimi arbitrati sunt. Nam Vincentius Bellovacensis in *Speculo historiali*, lib. VI cap. 51, confitetur sese « de omnibus Plauti comœdiis ex illa sola quæ dicitur *Aulularia* paucas morales et breves sententias excerptas hic » inseruisse.

Quæ sane non e Plauti *Aulularia*, sed e *Querolo*

(1) Aul. Gell. Noct. Attic. III, 3.

(2) Hæc fabula primum versibus expressa, in solutam orationem, VIII vel IX sæculo, ut ex illius ætatis codicibus maxime intelligi potest, conversa est, atque vulgo putabant eamdem soluta oratione olim scriptam esse. Quam tamen versibus conditam semper eruditissimi viri existimavere, atque operam dedere quidam ut metrum quo *Queroli* auctor usus esset, invenirent. Nostra quidem ætate frustra in hoc ab eruditissimo viro Klinclammer laboratum erat. Sed rem tam difficilem felici quodam ingenii acumine L. Havet enodavisse videtur, et in suum metrum *Querolum* rursus transtulisse.

desumptæ sunt (1). Præterea notum est illud Johannis Sarisberiensis distichon quo ipse Plauti esse *Querolum* interpretatur; ait enim in *Enthetico :*

> Plautinum *Querolum* miraris ubique videri
> Mancipio tali non caret ulla domus (2).

Ad hæc auctor nomine Pet. Larivey, sæculo XVI° exeunte, veniam sibi poscens quod soluta oratione scriptas emittebat comœdias, hanc licentiam Plauti exemplo confirmat, quem ait *Aulułariam* seu *Querolum* soluta oratione excudisse (3). Vitalis igitur communi errore deceptus comœdiam illam, quanquam recentioribus temporibus elucubratam, Plauti esse arbitratus est, et eam in versus elegiacos pro virili parte transferendam curavit.

Fabula digna est quæ legatur, quia ille inter primos in altissimis medii ævi tenebris antiquitatem imitari studuit. Sed cum ingenium illud rude atque incultum

(1) Verba quæ sequuntur in Vincentii Bellovacensis *Speculo historiali* legimus : « De omnibus autem Plauti comœdiis ex illa sola quæ dicitur *Aulularia*, paucas morales et breves sententias excerptas hic inserui. Plautus poeta comicus in *Aulularia : pecunia rerum et solicitudinum causa est et caput. Sibimet esse sufficientem primum bonum est. Visne tibi honorem deferri, inter miseros vivito. Si pro meritis reddendum nobis non putamus, ipsi nosmet fallimus. Quidnam, o stulte mirum est, si te qui novit despicit qui non novit diligit. In amicitiam et fidem stultum ne receperis. Insipientium atque improborum facilius sustinetur odium quam collegium, etc.* » « Quas sententias, inquit Mullerus, in Plauti *Aulularia* frustra quæres; desumptæ enim sunt ex illa comœdia incerti auctoris, et leguntur in Klinkhammer editione pag. 4 lin. 1, pag. 16 lin. 14, pag. 38 lin. 6 et 8, etc. » Vid. Mull. Anal. Bern. pag. 8.

(2) v. 1683-1682.

(3) Vid. *Ancien Théâtre français depuis les Mystères jusqu'à Corneille,* publié par M. Viollet le Duc, Tom. V pag. 3.

esset, ne suspicatum quidem est quale esset opus perfectum atque expolitum. Quare non intellexit quo labore quaque æmulatione sibi esset enitendum ut exemplar propositum non nimis longo intervallo sequeretur. In Vitalis enim fabula fere nihil novum, nihil felici inventione ac vi ingenii et ubertate excogitatum. Qui oculis in illa veteri *Querolo* fabula defixis fideli imitatione consecutus est quæ valde probanda judicavit, quæ languidiora atque prolixiora compressit, quædam omisit aut præcidit, paucissima adjecit, atque opus quoddam contractius et adstrictius protulit, cæterum ex omni parte ad instar *Queroli* accommodatum. Nam idem est consilium ; eadem discrimina atque indoles personarum, eadem quoque fabulæ disponendæ ratio ; denique totius operis similis tenor atque exitus.

Hoc vero præcipue inter se differunt *Querolus* et *Aulularia*, quod antiquior alter comœdiam suam ex artis scenicæ præceptis conscripsit, alter autem recentior narravit atque pronuntiavit more eorum qui servato rerum atque temporum ordine fabellam aut historiam componunt. Vitalem vero hac via et arte *Queroli* vestigia secutum esse, fabulamque illam olim ab incerto auctore elucubratam denuo in lucem emisisse ipsius Vitalis fabula confirmat, et ex ejus expositione res manifesta erit.

Poetæ nostri opus non in scenas et actus, ut *Querolus*, sed in quatuor libros distributum ab Querulo incipit cui pater fuit Euclio avarus et cautus senex. Qui cum ad Laris aram ingenti nummorum pondere refertam ollam sepeliisset, eidem, ut falso indicio nemo non deciperetur, funereum titulum imposuit ; deinde in externam regionem profectus, uno comitante servo Sardana, post sep-

tem annos obiit. Hujus autem filius, ut Queruli nomen indicat, omnibus molestus atque ingratus, ridicule iracundus, ab injuria et conviciis non temperat, atque in Deos, quos sibi iratos et infensos putat, in primis invehitur omnemque rerum humanarum ordinem atque rationem carpit :

> Et quid, ait, voluere Dei, cum temporis ortu
> Informen in formas distribuere globum ?
> Scilicet expositos fatis ut sortis amaræ
> Ureret asperitas detereretque labor.
> Naturæ gremio melius sopita jacerent
> Omnia, et in sterili matre sepulta forent.
> Nunc labor æternus, æterna angustia cunctos
> Decoquit ut curent esse, nec esse velint.
> Cunctis o utinam sic sors tolerabilis esset !
> Sors mala, si fuerit omnibus una, placet.
> Damna minus lædunt, si sint communia (1).

Sublatis enim divitiis tollitur invidia. Iisdem questibus prolixius indulget Querulus. In deos autem probra ingerit quæ his verbis breviter exponi possunt : « In Querulum præcipue dii sæviunt. Querulum in primis adversis rebus exercent. Non natus est Querulus nisi ut queratur. Querulus vocatur, ut nomen iniquæ sortis indicio sit. » Addit neminem tam acerba rerum angustia commoveri. Vix nempe caput tectis exserit, cum nomen hoc fatale in omnium ore sonat, plebeculaque ipsum irridet et conviciis prosequitur. Auget etiam molestiam quod domi servus est edax, nomine Pantalabus, pessimorum vitiorum labe contaminatus, cujus indoles, mores habitusque omnis his verbis describuntur :

(1) Vit. *Aul.*, v. 31-41.

Quam male Pantolabum Querulo sors invida junxit!
  Sum per eum Querulus, quod querar, ipse facit.
Pransus habet causam mecum, cur sit pede nudo,
  Tanquam si sibi sim, non mihi natus ego.
Venter inexpletus cuivis jacet æquus acervo.
  Crescit edendo fames, dat cibus ipse famem.
Consului medicos. . . . .
  De consumptore medici fecere voracem (1).

Dum mala omnis generis enumerat quibus pressus dolet, non minimam humanarum ærumnarum partem philosophiæ imputat. Nempe philosophi nequidquam verum inquirunt. Eorum instituta affirmat edaces esse curas quibus hominum pectora Jupiter suspenderit, confiteturque sibi Pythagoram odio esse quod vir ille

Horruit carnibus uti
  Et sibi cognatam credidit esse suem (2).

Ipse Plato veniam non consequitur, quod ausus in arcana naturæ erumpere,

Unum deprendit et docet esse Deos (3),

quodque in ejus operibus non pauca inveniuntur, quæ inter se contraria et ambagibus innexa vim mentis superent. Hujus tamen orationis asperitatem temperare Querulus videtur et Platonem aliqua laude dignum declarat quod deorum turbam esse negavit. Sed Vitalis addit ab hac Platonis sententia, quamvis vera et probanda, stultam hominum pietatem abhorrere. Qui gaudent servire a se creatis numinibus, anilisque religionis vinculis alligati, nesciunt sese in libertatem vindicare neque intelligunt nullam illis numinibus potestatem esse, neque ab iisdem

(1) Vit. Aul., v. 112-123.
(2) Ib., v. 63-64.
(3) Ib., v. 70.

ullum patrocinium peti posse. Quare ut omnis dubitandi ratio tollatur, patrem Euclionem refert auctorem, qui prodigus ad sumptum duo extulit Lari altaria : ex eo autem tempore omni genere ærumnarum ejus familia exercetur, atque ipse maximus Deorum cultor morte obiit exsul.

Querulum importunis questibus indulgentem Lar aggreditur, atque, ut ejus dolorem compescat, quasdam sententias e stoicorum disciplinis profert : neminem ait esse miserum nisi qui se miserum putet, neque infortunia e casu sed e falsa opinione oriri, neque ullo damno viri fortis animum frangi posse. Addit universis rebus Jovem præesse æternumque ordinem esse rerum, quem cogitatione atque ratione complectimur. His autem in terris eumdem explicat et repræsentat ratus ordo quo prioris imago quædam exprimitur. Querulus respondet nunquam sibi persuasum Larem platonicum esse ; itaque philosophantem irridet et lacessit. Lar vero postquam inania esse sua præcepta agnovit, discedit.

Vitalis quidem hac in operis parte utique in exemplum intuitus Querolum. Etenim e primo hujus fabulæ actu Queruli indolem molestam atque ingratam et questus quos ille effundit, imitatus est, tum etiam ea quæ ad servum omnibus flagitiis inquinatum et ad pessimum nominis omen pertinent, secutus sua fecit. Quibus adjecit pauca e philosophorum et in primis stoicorum disciplinis desumpta. Quæ vero in illo antiquo carmine ad Querolum referuntur cum Lare disserentem, atque eo perductum ut ipse fateatur persæpe se capitalia admisisse facinora et dignum esse qui mala fortuna exerceatur, ea quidem valde probanda atque festiva Vitalis penitus omisit.

At peracto illo breviori Queruli cum Lare dialogo, de quo supra dictum, Euclionis interitum narrare incipit. Qui cum jam septimum abesset annum et *longo orbe viarum* atque senecta confectus proximam esse mortem intelligeret, quæ suprema vellet, curavit. Tunc servulum Sardanam, quem secum abduxerat, admonet se ei non domini, sed parentis animum semper ostendisse, summamque fiduciam habuisse, et ob id ipsum, cum certa fide, studio tenaci secretoque alto opus sit, se intimos mentis aperturum esse. His autem præmissis Euclio profitetur domi ad angulum quo Laris ara premitur, mille talenta in olla latere. Cum filius quo nunquam pejor exstitit neque tenax neque prodigus sit, sed omnia temere agat, terræ potius quam illi thesaurum credidit. Jam vero ultima dies est, et cum procul a patria externis in oris non liceat domestica funera habere, cumque unum comitem et socium Sardanam ira Deorum superesse passa sit, exsequiarum et supremæ voluntatis perficiendæ curam ei commendat.

Pietas quidem Euclionem jubet patrem esse et filium heredem institui. Impulere forsan, ut hic saperet, doctor et ætas, atque insuper ingeniosa fames. Si vero ad meliora non redierit, satius est a stulto thesaurum exhauriri quam æternum in terra latere. Res autem indicio eget, quod ad filium Sardana transferet. Operæ fidelis pretium decem talenta erunt. In præsentia vero idem libertate statim donatur, quique usque ad hanc diem Sardana fuit, Paulus nominabitur.

Senex et servus lacrymas miscent ambo. Servus in primis gravi mœrore amorem mentitur. Sed, ut extremum spiritum Euclio reddidit, funeribus omissis, omnes læti-

tiæ habenas immittere atque spes inchoare longas incipit. Jam non servus, sed liber Paulique romani heres consulis, cujus sub nomine ad insignem evehetur gloriam. Facilis ad opes aditus ; nova rerum conditio spes alit. Non enim Querulo abditos thesauros, quibus imprudens ille incubat, transmittere servo in mentem venit, sed illum emungere et effossa mille talenta subripere. Non dividendæ opes quas Euclio vivus integras servavit. Parvi refert unde eæ parentur; non enim minoris pretii aurum furtivum est,

Partaque legitime non magis æra nitent (1).

Igitur Sardana propere profectus in ædes Queruli post septem dies pervenit et noctu apud hospitem ignotum divertit. Diligenter autem servus noster cavet ne conspiciatur et agnoscatur ; itaque faciem, vultum omnemque habitum in dissimulationem sui componit :

Lascivit nutrita diu coma jussa vagari
 Atque humeros ausa lambere colla tegit.
Descendunt humeri cervixque elata laborat
 Altius educta (2) jussa tenere caput ;
Empta senis spoliis nova divite vestis amictu
 Luxurians membra luxuriare jubet.
Sardana jam dubitat, utrum sit Sardana, seque
 Forsitan ignoret, si sinat ipse sibi.
Romani genus et linguam præponit Achivæ;
 Interdum quædam barbara verba sonans,
Non intellecta Diis et mortalibus audet
 Fingere (3).

Gnathonem Cliniamque sibi socios adjunxit, ut thesaurum ab Euclione relictum auferat, et quibus artibus inceptum perfici possit his verbis exponit :

(1) Vitalis *Aul.*, v. 320.
(2) eductum libentius legerim.
(3) Vit. *Aul.*, v. 289-302.

Fingite me talem, quem sors audire minantem
  Horreat, et magica qui sit in arte potens;
Qui piet adversam sortem, quique imperet astris,
  Carmina qui superis imperiosa facit.
Credulus est Querulus; sub nomine sortis iniquæ,
  Exibit nostra nobilis olla manu...
Qua maris unda furens angustat Palladis arces
  Alter; ab adverso dirigat alter iter.
Ante domum Queruli gressus sic temperet alter
  Et quasi festinus obviet alter ei.
Advenisse magum dicatur, ut audiat ille (1).

Antequam imperata uterque socius facessat, Gnathonis indicio, Sardana, ut partes suas tempore opportuno facilius atque expeditius peragat, Gnathonis et Cliniæ oculis futuræ rei imitationem subjicit.

Latens in interiore domo sublimique erectus solio magi mathematicique personam majestate plenam induit. Gnatho singulis et universis rebus diligentem dat operam. Jubet Sardanam in chartis oculos defixos tenere et more vaticinantium, ut magis commendetur fides, ex iisdem chartis recitare. Nec omittit quibus verbis Querulum aliumve quemvis idem Sardana affari debeat. His peractis ad Queruli ædes Clinia per diverticula carpit iter, Gnatho autem breviori via contendit. Ut ante fores stetit, stupido atque hebeti similis verba nuncupare incipit, modo vocem attollens, modo submittens. Ab romanæ gentis laude orditur dicens eam Græciæ ex omni parte præstare et vere Deorum genus esse, recens etiam in Latium virum prodiise Aristotele atque Platone multo præclariorem atque doctiorem, neque huic parem quemquam Græciam unquam tulisse; quippe qui omnia noverit,

(1) Vit. *Aul.*, v. 325-337.

et ventura et præterita non secus ac præsentia explicare calleat.

Quæ arrectis auribus audiens Querolus, ne conspiciatur januam semiapertam claudit. Ecce autem emensis spatiis tempestivus adest Clinia atque Gnathonem interrogat cur in cælum laudibus Romanam gentem attollat. Quærit num quid novi atque egregii hæc admiserit quo se posteritati rursus commendet.

Respondet Gnatho neque adversa neque prospera romanæ gentis sibi curæ esse; sed se res maximi momenti cognitas habere, et easdem inauditas, nolle autem cuiquam proferre, ne male duobus commissæ in medium evolent. Clinia ingenti cupidine has res cognoscendi se captum simulat. Gnatho autem se nolle secreta promere fingit: ambo fictitiis altercationibus atque jurgiis contendunt, minisque et conviciis utuntur. Clinia autem a contumeliis temperans ad preces confugit. Tum Gnatho se nunquam minis ait, sed precibus vinci, ideoque arcana prolaturum esse, modo e loco discedant, ne Querulus foribus hærens rem furtivis auribus subbibat. Postquam ambo recesserunt, Gnatho Cliniam sic alloquitur : Non ignoras, inquit, a quo tempore egenus sim et inops, sed malæ fortunæ finis proximus adest. Nuper enim in urbem advenit vir quidam ipsis numinibus potentior; quippe qui Jove invito multa faciat, Jupiter autem illo invito, nihil. Addit eumdem non magum esse, sed potius ipsam magicam artem, nec quæ brevi ventura sint, sed etiam quæ in mille annos Jupiter differat, enarrare. Ille quidem deus utique foret, si dii etiam in terra degerent. Ea est enim ejus potestas, ut cujusvis sortem iniquam expellat, expulsamque unquam reverti pro-

hibeat. Denique fatetur a se talem virum inquiri ut quovis emptus munere domum adducatur.

Sciscitanti autem Cliniæ, quæ causa viæ, quæ magi patria, quod nomen, Gnatho refert divinum hominem illum nominari Paulum a Pauli consulis genere et Roma venisse, ut Græciæ olim cæterarum gentium magistræ liberales artes restituerentur. Clinia tanti viri videndi cupidine accensus una cum Gnathone se illum adire velle simulat. Ecce autem Querulus amens ad eorum pedes provolvitur precatus ne tam singularis et pretiosæ rei sibi consortium invideant :

Omen habemus ;
Concidit in laqueos præda petita meos (1).

Cliniæ ad aurem murmurat Gnatho subridens, et simulatas iterans minas, huic crimini dat arcana effluxisse, et in Queruli notitiam venisse. Gnathonis vero invidiam animique impetum Clinia lenire conatur, et mox una cum Euclionis filio insidiis decepto ad Sardanam sese conferunt.

Ut divinum hominem illum aspexere, sublimi solio residentem, demittunt vultus et ad pedes procumbunt. Ille autem in Querulum intuens pollicetur se artis suæ fore prodigum ; itaque ut fidem augeat, creduli adolescentis nomen, fata iniqua orbitatemque recitat. Adjicit esse domi servum Pantolabum edacem, perpetua fame confectum, præterea in extremis primisque ædibus duobus Laris altaria surgere. Quibus auditis Querulus ait se huic viro magis quam sibi notum esse. Quid mirum hæc omnia Sardanæ fuisse comperta, cum tot annos

(1) Vital. *Aul.*, v. 531-532.

Euclioni famulatus supremum heri spiritum excepisset. Sed neque hac fraude neque dolis contentus, subjicit se Queruli natalitia sidera inspexisse, malamque fortunam non a diis quos finxerint trepidantia hominum corda, sed a pessimo inimici signi omine quod ortui præfuerit, fluxisse, sibi autem eam vim inesse ut incantamentis imperet astris et natalium mutet conditionem. Tunc supplex Querulus efflagitare ut domum piet sortemque iniquam auferat; easdem autem preces Gnatho et Clinia admovent, quibus Sardana permotus respondet :

Vincitis, et faciam sint hæc miracula prima,
Quæ Latius Graio Paulus in orbe dabit,
Ut celebris Graium currat fama per orbem,
Paulus et in vestro floreat orbe potens (1).

Docet idem, ut res bene vertat, quæ sacra sint celebranda, quæque ritus ratio servanda.

Deinde omnes, præcedente Querulo, ædes petunt. Ut prima tetigere ostia, Sardana piando limini, diis vocandis signisque in terra describendis diligentem confert operam. Dextro igitur laribus illato pede, « Omen in æde bonum », inquit. Cui Gnatho refert : « Sors inimica, fuge (1). » Quæ verba : « Sors inimica, fuge » iterant ambo. Interea locum in quo ex Euclionis indicio olla latebat, magus vestigat spatiumque ab aræ cornibus metatum longe fodi jubet. Gemit tellus Gnathonis et Cliniæ icta viribus, et postquam ollam invenere, ipsi secum auferunt. Sardana autem Querulum monet ut per quinque dies ostia fenestræque claudantur, ne solis radii intus penetrent. Quotiescumque ad aures strepitus aliquis perveniet, hæc verba : « Sors inimica, fuge » iteret. Ubi vero præscriptæ dies

(1) Vit. *Aul.*, v. 605-609.

effluxerint, non jam malam fortunam timendam esse. Nec mora : per quæ diverticula viam Gnatho et Clinia carpsere, Sardana furti socios secutus æquat cursu. Sed ut e conspectu egressi ollam aperire parant, hunc ei titulum mirantes inscriptum vident :

Ossa Tripericii Triperi patris hæc tenet olla
Condita cum nituit Cæsare Roma suo (1).

Tunc indulgere planctui et ejulatibus incipiunt ac muliebrem in modum doloris habenas immittere. Luctu et desiderio in primis Sardana tangitur, quippe qui tanta terrarum spatia, venandi thesauri causa, emensus sua spe dejiciatur, permutatosque in funus atque cinerem nummos persuasum habeat. Gnathoni tamen placet ollam aperiri; Sardanæ autem et Cliniæ Querulum iterum decipi; itaque eamdem in ædes per murorum rimulam quam adverterant, immitti.

Querulus enim, inquiunt, ignoraturus est atavi cineres hac olla inclusos, nec levi iracundia accendetur. Annuente Gnathone per rimulam illa immittitur. Sed immissa dat sonitum confractaque effundit thesaurum. Fures sua fraude decipiuntur; inexpectato Querulus perfunditur gaudio. Quæ videns Sardana vehementiori desperatione turbatus lamenta et ejulatus iterat. Gnatho autem et Clinia malum rei exitum huic imputantes, diverso itinere fugiunt. Servus vero agnoscens se meritam fraudis pœnam luere, exuta magi persona, Querulum adit affirmatque suo consilio ollam auro refertam in ejus manus incidisse. Hic opibus audacior factus, thesauri

(1) Vit. *Aul.*, v. 691-692.

ignarum se esse fingit sciscitaturque sitne Sardana ille qui dudum patri

Et comes et servus auxiliumque viæ (1)

profectus sit.

Hunc in locum novam personam, cui nomen Arbiter, Vitalis inducit; quam imitator ignarus noster usque adhuc omisit. Eadem tamen in antiqua illa *Querolo* fabula partes fabulæ necessarias agit, præsertim in exitu. Sed Blesensis poeta illam, tanquam deum ex machina, sibi de improviso, ut res peragatur, in auxilium vocat.

Ad Arbitrum enim judicem res agitur. Edisserit Sardana se extremum spirtum Euclionis ore excepisse, et talentis decem institutum esse heredem, ut thesaurum filio renuntiaret; jussum præterea ad experiendam adolescentis prudentiam, aurum furto subripere, subreptumque ei reddere. Arbiter, fide huic orationi adhibita Sardanæ decem talenta a sene promissa, Querulo probante, adjudicat, et tum, ut ait Vitalis :

Lis cadit, acta placent (2).

Hac *Aululariæ* expositione in promptu est quam pauca ex se ipso Vitalis extulerit.

Vidimus enim supra jucundum quidem atque festivum sermonem illum Queroli cum Lare confabulantis penitus fere omissum esse. Simili quadam ratione non pauca alia aut compressa sunt ant præcisa. Nam magus in illo veteri carmine cœlestem divinamque scientiam, ut Querolum decipiat, prolixiori oratione exhibet, et quæ sint « optima sacrorum cultuque facilia (3) », quibusque

(1) Vit. *Aul.*, v. 706.
(2) Ib., v. 790.
(3) Vid. *Querolum* a Com. edit., pag. 25.

signis res humanæ hominumque vita regantur arrogantibus verbis exponit. Hanc quidem operis partem Gruterus, qui cæterum fabulam multis laudibus commendat, insulsissimam esse ait et vix lectione dignam (1). Eamdem vero prudentissimi existimatores magnis laudibus extollunt, quod poeta paganorum sacra, magistratus, denique antiquæ societatis rationem atque institutionem omnem carpsit et ludibrio habuit (2). Quibus libentius assentimur. Has autem res tanti momenti vix uno alterove disticho Vitalis expedit. Item apud veterem illum scriptorem, Querolus, cum pianda est domus, per servum suum Pantomalum, Arbitrum, de quo supra, adsciscit, huic rei sacræ opem ferendi causa. Cum advenit Arbiter, thesaurum Querulus in sua potestate habet; sed magus sese dimidiæ partis heredem scriptum esse Euclionis testamento contendit. Tum causa ad Arbitrum quasi quæsitorem delata magnis altercationibus perinde ac in foro agitur. Primum magus furti sacrilegiique insimulatus, multis precibus, querelis judicisque misericordia absolvitur. Quæ omnia Vitalis aut omisit aut paucis verbis, ut paulo ante vidimus, iisque exilibus ac jejunis contraxit.

Notanda etiam alia quædam discrimina sed leviora. Qui in *Querolo* magus falso habetur, is parasitus est quocum Euclio peregre junxit amicitiam, et nominatur Mandrogerus : apud Vitalem vero idem Sardana, fuitque multis annis Euclionis servus. Itaque diligenti cura, vultum, incessum speciemque, ne agnoscatur, dissimulat.

(1) Vid. *Querolum* a Com. edit., pag. 109.

(2) Vide Amp. *Histoire Littéraire de la France avant Charlemagne*, pag. 262 et seq.

Mandrogerus, in *Querolo*, duplici crimine quo arguebatur solutus, quem apud patrem parasiti locum habuerat, eumdem apud filium obtinet; in Vitalis autem *Aulularia* Sardanæ decem talenta a sene ex testamento relicta attribuuntur. Ad extremum qui in sceleris societatem venerunt, in prisco carmine, Sycophanta et Sardanapallus; in recentiori autem Gnatho et Clinia nominantur. Sed Vitalis ipse confitetur propter metrum mutata esse personarum nomina. Quibus collatis colligere est Vitalem in hoc præcipue auctorem se gessisse, quod exemplaris sibi propositi multa loca reciderit, et ea quidem non contemnenda, pauca vero et nova per se invenerit.

CAPUT QUARTUM

E QUO AMPHITRYONEM SUAM VITALIS SUMPSERIT

Perspicuum est et ab omnibus concessum Vitalis *Aululariam* ad *Queroli* exemplum esse expressam. Sed non ita facile dixerim e quo *Amphitryonis* similitudinem traxerit. Ipse quidem in hac fabula scribenda ait se Plauti vestigiis institisse. At nescio an major ei adhibenda fides sit, quam cum, ut paulo ante vidimus, *Aululariam* sese ex illo vetere comico sumpsisse profitetur.

Antiquitatem enim Amphitryonis et Alcmenæ singularis fortuna multum delectavit. Quare sæpius est a scenicis scriptoribus tractata, et primum ab Æschylo, Sophocle, Euripide qui apud Græcos tragœdiæ principes sine controversia exstiterunt; deinde ab Ione Euripidis æquali, ab Alexandrino et Astidamante qui eidem ætati fuere suppares, denique a Dionysio Syracusarum tyranno qui in scenico opere sese exercuit. Hanc vero fabulam Archippus, unus ex iis qui priscam comœdiam illustrarunt, generi comico primus accommodavit (1).

(1) Vide *Fragmenta poetarum græcorum* edit. (Didot Bibliotheca græca), passim. Vide etiam « *Le traictté de Getta et d'Amphytrion* » edit. a marchione de Queux de St-Hilaire. Introduct. pag. XII. Qui de Amphitryone et Alcmena Æschyli, Sophoclis, Euripidis, etc., mentione facta ait : « D'autres poètes tragiques ont aussi introduit sur le théâtre ces mêmes personnages. Parmi eux il faut citer Alexandrinus qui a fait une tragédie d'*Amphitryon*; Astidamas et même Denys le Tyran, qui fut, comme l'on sait, possédé du démon de la métromanie, ont composé des tragédies intitulées *Alcmène*. »

Apud Romanos idem ferme evenit. Nam Plauti comœdia *Amphitryonis* nomine inscripta in manibus est. Ante hunc aliquot annis tragœdiam ex eodem argumento Cæcilius Ennii æqualis et familiaris conscripserat ; cumque salibus et facetiis Quiritum cachinnos jam Plautus commovisset, *Amphitryonem* fabulam non cothurno indignam Accius judicavit et tragico generi aptavit, adeo res illa quoquo modo expressa probabatur.

Idcirco ad suspicandum adducor eamdem fabulam ab aliis scriptoribus, quorum nomina tempore evanuerunt, esse elucubratam. Diximus enim rhetores atque grammaticos, cum res romanæ, regnantibus imperatoribus, in pejus ruerent, scenica opera quæ recitarent, scribere solitos atque ex veteribus poetis argumenta sumere. At quis credat ab eis *Amphitryonis* argumentum esse omissum, præsertim cum ista fabula, singulis ætatibus, plebi patribusque vel maxime accepta fuerit. Licet etiam existimare eum qui hujusmodi opus elaborandum susceperit non omnia e Plauto, sed e græcis scriptoribus qui Amphitryonis et Alcmenæ casus scenæ commisere non pauca extulisse, et fabulam plautinæ ejusdem tituli fabulæ plane dissimilem emisisse. Quæ quidem aut errore aliquo aut ipsius auctoris fraude veteris comici nomine præscripta usque ad XII^{um} seculum servata est. Quare hanc Vitalis, cum Plauti vestigiis ingredi sese putaret, in exemplum intuitus est.

Conjectura hæc nostra non ita multum a vero abhorret, et procul dubio Vitalis carmen diligenter perpendenti atque introspicienti erit probanda.

Ex *Aulularia* enim maxime intelligi potest qualem scribendi rationem atque artem versificator ille noster ad-

hibeat. Non vias quidem indagat novas, tritas potius sequitur. Non tamen omnino vi genuina proprioque ingenio caret, et poetæ ad cujus imitationem sese accinxit exemplo interdum excitatur ut nova quærat atque eruat, sed plerumque exemplaris vestigiis insistens, ut supra vidimus, alia contrahit atque comprimit, alia omittit, et, quæ probat, pene ad verbum tanquam fidelis interpres exprimit. De iis autem quæ mutat præmonet, ut in *Aulu-lariæ* prologo videmus :

> Qui releget Plautum, mirabitur altera forsan
> Nomina personis quam mea scripta notent (1).

Adde Vitalem operis quod in exemplum oculis subjicitur consilium, dispositionis rationem atque omnem institutionem mutuari : « Plauti autem *Amphitryonem*, jure ait Osannus, cum cognomine Vitalis carmine contendenti facile apparebit, hoc cum illa comœdia nullam aliam habere communionem quam quæ in usu ejusdem fabulæ de Jovis et Alcmenæ amoribus consistat (2). » Ex quibus poeta noster tantum sumpsit quantum necesse erat ut fabula intelligeretur. Reliquæ vero partes utriusque operis prorsus inter se dissimiles, ut rem apertam faciet diligens et explicita recentioris Amphitryonis expositio.

Vitalis enim, non ut vetus ille comicus, ab Sosia ex exercitu redeunte, sed ab Jove in Alcmenæ amorem delapso incipit. Eumdem inducit dolentem sese Jovem esse atque deorum parentem, Amphitryonisque honori invidentem. Ecce autem obvius opportune fit Arcas, cui ille confitetur quali incendatur igne quamque vehemen-

(1) Vide Vit. *Aulul.*, v. 11-12.
(2) Vital. ab Osan., ed., pag. XVII.

ter exoptet locum conjugis, qui Athenis philosophiæ vacat, apud Alcmenam obtinere. Cum vero hic jam in eo est ut redeat, cœlestis adulter Caduciferum jubet sine cunctatione Getæ habitum induere. Ipse autem Amphitryonis speciem atque statum omnem in se capit. Alcmena, rumore publico de viri regressu certior facta, domum adornandam absentisque conjugis supellectilem proferendam diligentissime curat. Nec ipsa sui immemor gandium habitu testatur. Exquisitissimis enim capillorum, vultus et omnis corporis munditiis insignitur; quæque alios forma vincit, nunc se ipsam. Quam prospiciens Jupiter magis atque magis ardet et ab illa Junonem suam, sidera diemque superari confitetur. Cœlo igitur una cum Caducifero descendit, hisque accedentibus,

Vernalis mitis odore
Respiravit humus (1).

In Alcmenæ ædes ingressus, fidem conjugalem fœdat; morem sibi omnino gerit novisque amoribus toto pectore indulget.

Dum pater deorum et Amphitryonis uxor sese Veneris illecebris atque lasciviis tradunt, Byrrhia e somno excitatus ab Alcmena ejusque precibus et minis permotus Amphitryoni obviam ad mare missus est. Sed dominæ suæ iratus his verbis queritur :

Væ tibi femineo quisquis adacte jugo!
Femina vult sudare suos didicitque ju ere;
Pœna tenet famulos, innovat illa cutem (2).

Adjicit heram suam malam esse feminam et se domo

(1) Ms . A. v. 57-58.
(2) Ib., v. 112-115.

emissum ut conjux facilius decipiatur. Igitur secum agitat utrum referat pedem, ut Alcmenam in manifesto scelere deprehendat. Sed mox sententiam servus mutat, quia deprehensa femina multo audacior erit magisque timenda :

Byrrhia quidquid agat, semper iniquus erit,
Credulus uxori vir erit; mala femina ficto
Crimine damnabit, sic cruce visa luam (1).

Quamobrem Byrrhia viam secutus secretam quamdam eligit ne Getam offendat ab eoque multis libris oneretur. At omnis perit labor, quæque præcavere voluit ipse, perinde ac cogitatione præceperat, accidunt. Nam Amphitryon ventis et fluctibus ereptus Getam servum præmiserat qui Alcmenæ viri adventum nuntiaret salutationemque perferret. Quem ut videt Byrrhia accedentem, ingenti librorum copia humeris imposita, timens ne sibi onus ferendum tradatur, caveam subit dum ille transeat.

Ad speluncam consistit Geta, onusque furca bicorni sustinens fingit se inscium esse ibi latere Byrrhiam. Quare in eum probra effundit, quod sibi obviam non venerit; nam ejus humeris doctam sarcinam profecto imposuisset. Deinde enarrat quam egenam et miseram Athenis vitam duxerit cum philosophiæ se totum daret. Hæc autem pars operis nec injucunda nec horridis expressa versibus :

Væ (2), væ mihi! dixit, Athenis
Dicere longa mora est, quæ mala quotve tuli!
Me frigus, me longa fames, sitis aspera, somni
Nocte breves, miseri perdomuere cibi.
Non primo vivebat herus, sed pane secundo;
Qui me pascebat, vix quoque quartus erat.

(1) Ms^t. A. v. 122-124.
(2) Ib., v. 156-161.

Quem tamen nullo modo pœnitet tam duros labores totque mala pertulisse. Nam doctissimis summorum magistrorum præceptis institutus, tanquam in procinctu paratam quidem ad omnes controversias habet dialecticam, omnique doctrinarum instrumento ornatam. Nulla jam rerum miracula exsuperant intellectum. Causas enim introspexit omnes penitusque novit. Imo in formam atque in speciem novam quævis animalia mutare valet, ut ipsius verba testantur :

..... Pretium (1) pœnæ miranda sophismata porto
  Jamque probare scio, quod sit asellus homo.
Dum mihi me reddant (2) patinæ, focus uncta popina
  Hos asinos, illos esse probabo boves.
Sum logicus, faciam quævis animalia cunctos...
  Hoc etiam didici, quod res nequit ulla perire (3),
Quod semel est aliquid, non nihil esse potest.
  Cui semel esse datur, nunquam non esse licebit,
Sed faciem mutat et novat esse suum ;
  Sic nequeo nihil esse.

Deinde idem Geta sententiam huic contrariam profert : omnia morte tolli ; doctum Platonem atque ipsum Socratem occubuisse ; ne famam quidem immortalem esse. Quæ e cavea audiens Byrrhia miratur creditque Getam insanire qui nunc omnia fine carere, nunc omnia morte interire profiteatur.

Geta autem, prolixa oratione habita, diligentem admovet aurem, quasi strepitum quemdam audiat e cavea exeuntem. Tunc ita loquitur secum ut audiatur : nonne hic lepus aliquis latet? Cum neque retia neque canes

(1) Mss. A., v. 164-177.
(2) Ib. reddunt.
(3) Jam notavimus in mss. A ordinem esse ab eo quem secuti sumus diversum.

adsint, furca et saxis illum obruam, atque opimum mensæ ferculum auferam. Cui periculo objectus Byrrhia a mente alienatur, vehementius timens ne sibi cavea in sepulchrum mutetur. Itaque supplex deprecatur mortem. Per veterem nostram amicitiam, sine, inquit, e recessu exeam et proferam caput. Flectitur Geta admirationem simulans, quasi tum primum Byrrhiam suum, non autem leporem ibi latere agnosceret. Deinde eum impellit ut susceptum librorum onus domum ferat. Nam ingens ejusdem sarcinæ copia in littore adhuc jacet quam Amphitryon otiosi Byrrhiæ humeris imponendam declaravit. Hic autem loquenti fidem non adhibet viamque ad mare prosequitur ut tantum laborem, si vitare nequeat, saltem in aliud tempus differat.

Alter vero domum citato pede contendit secum sua gaudia dinumerans. Jam labores prætiere, jam parta quies est. Advenienti utique assurgent Sannio, Sanga, Davus reliquaque turba, et primæ sine controversia deferentur. Geta dicetur magister atque in magna popina omnes doctrinarum opes et divitias, plaudente corona, explicabit.

At stupet attonitus, cur sibi obviam non occurrat Alcmena, cur tota domus sileat, cur clausæ stent fores. Procul dubio sponte sua ad primam vocem Getæ pandentur; qui pulcherrima dona affert Alcmenæ : zonam, peplum, chlamydem aliaque similia, quibus femina niteat, quibusque viro et sibi in primis placeat. Clausas tamen fores Geta pulsat, et atria clamoribus complet Alcmenam vocans. Arcas intra ædes januaque interposita sese opponit; alterius autem vocem figuramque omnem simulans respondet jam ab Amphitryone thala-

mum teneri, et a Geta, fores. Hic vocis suæ imitatione conterritus, paululum recedit. Deinde iterum januam reserari jubet. Sed Arcas Getam, Amphitryonem, Byrrhiam ipsum qui dudum, cum in spelunca lateret, tanto esset timore perculsus, jam reduces esse confirmat.

Obstupet Geta, retro fert pedem atque ut incredibile portentum illud exsolvat, dialecticam e scholis recentem adhibet, quæritque qua ratione duo sit, qui prius erat unus :

Est ego (1) qui mecum loquitur; sed nescio fiat
  Qua ratione duo, qui prius unus erat,
Omne quod est, unum est; sed non sum qui loquor unus.
  Ergo nihil Geta est, nec nihil esse potest.
Unus eram, primum cum clausa ad limina voce (2)
  Intonui; sed me reddidit iste mihi.

Tum foribus tertium instat, atque ut, irata manu, portæ repagula frangat, enititur, simul alterum Getam eam adaperire jubet, non ut introeat ipse, set ut videat verene illi sint Getæ forma et habitus. Arcas subjicit hunc dolis et arte, cum vi non possit, ingredi velle, se autem præcavere ne in insidias cadat.

Geta denique ad assuetas confugit preces et ab Arcade quærit quis sit illi « modus atque color oris, » quæ indoles quod vitæ genus. Tum ille, quem non moverant minæ, precibus tandem motus, se ipsum describit atque imaginem quamdam sui fidelissimam exhibet.

(1) Msc. A., v. 277-280.
(2) Ib., Clausa cum primum limina voce.

Totus (1) inaudita fœdaque nigredine damnor
Atque color membris omnibus unus inest.
Sum velut Æthiopes, aut quales India mittit.
Æterna scabie scinditur (2) atra cutis.
Hirsutum caput est et cinctum crine caprino,
Frons brevis et naris longa, rubent oculi...
Sic tumeo ventre, quod dicor hydropicus esse,
Et stomachus parvum nescit habere modum
Zonaque nulla potest hunc castigare tumorem.

Arcas, iterum rogante Geta, edisserit etiam furta, dolos, mores vitamque omnem; ex quibus quædam non nimis inverecunde expressa, eligimus :

Fallo (3) senem, minuo commissa (4), recondita furor.
Nulla manus Getæ tenuit sera, dissipo quæque
Prodigus et larga non mea dono (5) manu...
Sæpe crucem merui, merui persæpe catenam,
Aspera sæpe tuli verbera, sæpe minas...
Si mea me fallit fraus et deprendor in actu,
Nota nego, testor numina, juro deos.

Quæ profert Arcas, ea quidem omnia sibi aptissima et accommodata, talemque vitam esse suam agnoscit Geta. Magis atque magis incertus hæret divina quasi potentia perculsus, et in dialecticorum meatibus evanescens jam nescit utrum adhuc sit nec-ne confiteturque se, cum dialecticam didicerit, tum esse desiisse, et cum omnia mutare voluerit, in se ipsum alios esse mutatos seque sibimetipsi ablatum.

Tum qua via lætus dudum venerat, ad portum revertitur, Amphitryoni quæ ad ædes peracta sint renuntiaturus. Ut primum illum aspexit, iter maturat sperans

(1) Ms. A., v. 331-344.
(2) Ib., cæditur.
(3) Ib., v. 365-386.
(4) Ib., concessa.
(5) Ib., donæ.

portentum enodatum iri. Nam ait se etiam esse Getam, si ipsum hoc nomine Amphitryon salvere jubeat, periisse autem, si taceat. Quem cum redeuntem Amphitryon procul conspexisset, dolore permotus secum ait :

Ne mortem nati, vel casum conjugis ægræ
Afferat hic vereor; ora dolentis habet.
Turbor in aspectu : date, numina, ne sine prole
Dicar, et in magna parte periisse mei.
. . . .
Dic age, dic Geta, quid mea cura facit ?
Stamus an occidimus ? periine in conjuge fida ?
An vivit quod amo (1).

Quibus auditis Geta ait se utique Getam esse, nec qui nihil sit, eum interrogari. Deinde interroganti narrat quæ domi viderit portenta.

Ista vero incredulus Amphitryon odit atque servum contumeliis et maledictis reprehendit, pro certo habens ab uxore conjugii fidem esse violatam. Igitur una cum Geta arma induit, et ambo incedunt crispantes tela manu, multaque minantes simul et in Jovem Jovis auxilium precantes. Quibus mentem philosophia imminutam esse Byrrhia ait, eosque irridet longe subsequens ; nam cum ipse nec fortis nec strennus sit, existimat nihil timido tutius quam procul a certantibus abesse.

Jamvero Jupiter una cum fraudulento Geta in cœlum reversus erat, cum Amphitryon vultu minaci armisque indutus ædes ingreditur. Tum Alcmena et adventu et rei novitate obstupefacta postulat cur conjux non oscula sed prælia cogitet. Qui dulcibus his verbis permotus, ira posita, gladium simul et tela projicit. Geta vero infensus ab Alcmena sciscitatur quamobrem hac nocte domus

(1) Mss. A., v. 427-439.

introitum sibi negaverit; cui domina jocans et ridens subjicit :

Ostia servabas, et per te clausa patebant,
Et mox ad nutus clausa fuere tuos ;
Amphitryona meum thalamis amplexa fovebam (1).

Tum vir se deceptum et fidem violatam intelligit. Quare uxorem crebris ictibus contundit. Quæ prudenter refert :

Vos equidem vidi, vel vos vidisse putabar,
Luserunt animos somnia sæpe meos (2) ;

Re sic explanata, nemo non contentus abit :

Lætatur sponsa Amphitryon, nidore coquinæ
Byrrhia, Geta hominem se fore; cuncta placent (3).

Hac autem expositione Vitalis *Amphitryonem* a Plautina ejusdem nominis fabula longe differre, et inter utrumque carmen parum cognationis esse confirmatur. Non enim idem est ingressus, nec idem exitus penitusque dissimilis totius operis ratio.

Ubi Amphitryon, in Vitalis fabula, Athenis rediens, Getam quem præmiserat, sibi obviam venientem videt, animo occurrit domi aliquid accidisse, vereturque ne mortuus sit filius; quod sane notandum est. Nam Alcmenæ geminos filios uno partu edituræ nullus est locus. Sed vir Athenas profectus, non eam tantum, ut fert Plauti fabula, gravidam reliquerat; filium vero jam sustulerat. Quare redux timet ne idem vita decesserit. Nonne ex hoc uno loco conjicere licet Vitalem non ad Plautinam comœdiam expressisse suam, sed ad quamdam aliam ab incerto

(1) Mss. A., v. 513-516.
(2) Ib., v. 521-523.
(3) Ib., v. 531-532.

auctore profectam, qui veteris comici carmen continuaverit potius quam imitatus sit, ut supra vidimus *Aululariam* a *Queroli* auctore continuatam?

Adde a Vitale Mercurium nunquam vero nomine sed Arcadem appellari, quod nomen procul dubio in carmine quod noster secutus, ad Mercurium pertinebat. At Mercurius in Plauti comœdia Arcadis nomen nunquam obtinet, nec tunc unum pro altero ponebant. Qua licentia usus esse primus Martialis videtur qui de Jove hæc habet :

Respiciens Phæbum pariter Phæbique sororem
Cum quibus Alcides et pius Arcas erit(1).

Pius Arcas pro Mercurio, ut ipsa res indicat et consentiunt optimi judices, sumitur. Quæ quidem consuetudo per temporum decursus magis atque magis invaluit. Nam ætate Martiani Capellæ Arcas vulgo pro Mercurio ponebatur, ut est in *nuptiis Philologiæ et Mercurii* passim, et ex hoc exemplo quod unum adhibemus, perspici potest : « ψυχὴν opimam superis ditemque muneribus atque multa cœlestium collatione decoratam in connubium Arcas superiorum cassus optabat. Sed eam Virtus, ut adhærebat forte *Cyllenio* pæne lacrymans nuntiavit in potentiam pharetrati volitantisque superi de sua societate correptam captivamque adamantinis nexibus a Cupidine detineri (2) » Mercurium qui ψυχὴν matrimonio sibi jungere instituerat, Arcas non secus ac Cyllenius designat.

Cum autem v° sœculo in morem perductum esset, Arcadem pro Mercurio indiscriminatim ponere, licet suspicari elucubratam illo tempore fabulam, Vitali exem-

(1) Mart. Epigram., lib. IX, 36, v. 5-7.
(2) *De nuptiis Philologiæ et Mercurii*, edit. Teübner, pag. 4.

plo fuisse. Existimari etiam potest eamdem non solum ad Plauti latinorumque scriptorum imitationem expressam, sed Græcorum quoque. Etenim Jovem inducit Vitalis pessima libidine flagrantem atque e cœlo una cum Caducifero exeuntem, ut ad Alcmenam sese conferat eamque, absente viro, stupri flagitio per dolum et fraudem inurat. Describit etiam, lascivo quodam stylo, quo impetu, quo cæco amore, uterque in alterius amplexus ruat. At nemo nescit Alcmenæ et Jovis amores non in scena spectantium oculis a Plauto esse subjectos. Deinde cum Geta, quæ domi portenta viderit, nuntiat, Amphitryon suspicatur Alcmenam fidem male servasse. Quæ indignata, apud Plautum, testatur se nunquam in culpam incidisse. Eadem vero apud Vitalem, sese fallacibus verbis purgat virumque irridet dicens se delusam esse et ante oculos versari putavisse, quem tantum in somnis vidisset (1). Unde non mirum est in veteri codice Neapolitano subscriptionem hanc legi : « explicit de Geta, de muliere mala, quod agatur de adulterio (2). » Alcmena enim, in Vitalis fabula, non castæ atque integræ uxoris exemplum inducitur, sed potius omnium flagitiorum contagione infecta. Igitur cum Alcmena Plautina fere nihil commune habet.

Cum autem fabulam hanc præclarissimi Græciæ scriptores illustraverint, alii Alcmenam a Jove deceptam et in adulteriam invite delapsam tragico generi accommodaverunt, alii comicum in modum imitati sunt. Archippum autem qui, ut supra vidimus, rem primus ridicule expressit, argumentum in usum suum adhibuit, vix diver-

(1) Msc. A., v. 521-522.
(2) Vit. ab Osan. edit. præfat. pag. XVII.

sum ab eo quod Plautus, Græcos auctores secutus in cognomini dramate tractavit (1). Euripides insuper quamvis ex eadem fabula tragicum opus effecerit, aliquem locum facetiis et maledictis tribuisse putari potest. Qui nimirum Amphitryonis uxorem uno partu geminos filios edentem vertit in ludibria, ut ex his Plauti versibus perspicitur :

Pro di immortales, tempestatem quojusmodi
Neptunus nobis nocte hac misit proxuma!
Detexit ventus villam! Quid verbis opû'st?
Non ventus fuit; verum Alcumena Euripidi :
Ita omnes de tecto deturbavit tegulas (2).

Cum Amphitryon, eadem in fabula, se ipsum jam domi una cum uxore versari cognovisset, occasio carpendi mulieres et in primis Alcmenam opportunior exstitit quam ut eam Euripides prætermitteret. Quæ autem probra et jurgia tum ille effuderit, ex iis quæ Hippolytus in Phædram nefanda libidine captam profert, nemo non facile excogitare valet.

In reliqua vero fabula Plautus et Vitalis non minus inter se discrepant. Hic enim noster Amphitryonem non strenuum fortemque imperatorem effinxit ex exercitu, superatis devictisque hostibus, redeuntem, sed philosophiæ discipulum qui Athenis quum hujus doctrinæ reliquas partes, tum disserendi rationem atque artem non sine felici labore didicit. Cui comes fuit et socius Geta servulus qui iisdem artibus imbutus profitetur se brevi præstantem fore doctorem præclaramque sui memoriam posteritati commendaturum.

(1) Plauti *Rudens* act. 1us, scen. 1a.
(2) *Poetarum comicorum Græcorum fragmenta,* edit. Didot, pag. 269.

Ad hæc Vitalis Alcmenæ famulantem Byrrhiam induxit, cujus nulla apud Plautum mentio, quique Amphitryonem et Getam dialecticorumque præcepta et cavillationes pro virili parte carpit et insequitur. Denique fabula omnis scholarum disputationibus et argutiis referta notam temporis quo exarata est probe præ se fert.

Advertendum etiam Amphitryonem in Vitalis fabula profectum esse Athenas. Hanc autem in urbem sese conferre Romani adolescentes solebant, qui se optimarum artium supellectile ornatos volebant. Tullius enim Brutum suum laudat, qui dicendi copiam, cum domo haurire non posset, Athenis arcessiverit (1). Verum urbs optimarum artium parens xii° sœculo parum erat cognita, nec eo Vitalis Amphitryonem misisset nisi ex alicujus antiquioris poetæ auctoritate.

Igitur quæ nova, in Vitalis fabula, nec a Plauto sumpta notavimus, non ille noster ex se ipso extulit. Erat enim tum mos poetarum ut rebus inveniendis atque excogitandis minime incumberent, sed opus soluta oratione scriptum plus minus fideli imitatione prosequerentur et versibus exprimerent. Hujus modi præcepta iis qui carminibus scribendis sese conferre vellent nemo grammaticorum tradere omisit (2).

Præterea Vitalis ait in Aulularia prologo (3) se utram-

(1) Vide Brut. cap. XCVII.

(2) « Les poëtes latins du xiie siècle sont nombreux et quelques-uns remarquables ; leur travail s'est presque toujours borné à versifier, avec une fidélité plus ou moins grande, des originaux en prose. » Gaston Paris, *Dissertation critique sur le Ligurinus* attribué à Gunter. Paris, 1872, in-8° pag. 32. De ea re vide etiam Pannenborg de *Ligurino*, pag. 192 et seq.

(3) Vit. Aul., v. 25-28.

que fabulam per aliena vestigia excudisse. *Querulum* autem hac arte in elegiacum metrum transtulit. Simili modo existimandum est illis temporibus, aliquod opus cui titulus : *Amphitryon* aut *Geta* quodque Plauto perperam tribueretur in manibus fuisse et idem sibi imitandum proposuisse Vitalem.

Huic autem conjecturæ a vero non ita abhorrenti duo accedunt indicia quorum alterum e Sedulii *Carmine paschali* eductum cujus initio hi versus leguntur :

> Cum sua gentiles studeant figmenta poetæ
> Grandisonis pompare modis, tragicoque boatu
> *Ridiculove Geta*, seu qualibet arte canendi
> Sæva nefandarum removent contagia rerum, etc. (1).

Ex quibus plane intelligitur, Sedulii ætate fabulam Getæ nomine inscriptam nonnihil famæ sibi asseruisse.

Alterum autem suppeditat indicium vas quoddam antiquum, in quo describitur Jupiter comœdorum vestitu indutus, scalisque suppositus quas ad murum erigere conatur, ut ad Alcmenam e fenestra prospicientem ascendat : Quem comitatur Mercurius habitu servili compositus, utero tumens zonaque rubenti præcinctus. Simulacrum vero illud libenter putes ad id tendere ut Plautina fabula irrideatur.

Itaque idem ex aliqua comœdia sumptum, cujus nomen vetustate abierit et cujus auctor veterem illum comicum

(1) Vit. Blesens. ab Osanno edit. præfat, pag. XII.

et Jovis Alcmenæque amores in ludibria vertere sibi proposuerit (1).

Nonne igitur his confirmatum videtur saltem usque ad XII^um^ sæculum exstitisse fabulam aliquam ad Plauti imitationem recentioribus temporibus conscriptam, atque *Amphitryonis* vel potius, ut ex Sedulii versibus suspicari licet, *Getæ* nomine inscriptam e qua Vitalis suam *Amphitryonem* sicut *Aulularium* e *Querolo* scimus, expresserit, nec tum illi *Getæ* minorem fuisse laudem quam *Querolo* de quo ait J. Saresberiensis :

Plautinum *Querolum* miraris ubique videri,
Mancipio tali non caret ulla domus (2).

(1) Vas illud Winckelmann his verbis describit : « C'est une parodie des amours de Jupiter et d'Alcmène dans laquelle ce sujet est traité de la manière la plus comique. A voir cette composition, il sembleraitque l'artiste ait voulu peindre la principale scène d'une comédie telle que celle de l'Amphitryon de Plaute. Alcmène regarde par la fenêtre, comme faisaient ces femmes qui mettaient leurs faveurs à l'enchère, ou qui voulaient faire les prudes ou les précieuses. La fenêtre est élevée à la manière des anciens. Jupiter, qui est travesti, porte un masque blanc auquel pend une longue barbe. Il est coiffé, comme Sérapis, d'un boisseau ou *modius* qui ne fait qu'une seule pièce avec le masque. Il porte une échelle, la tête passée entre les échelons, et paraît être sur le point de s'en servir pour monter dans la chambre de sa maîtresse. De l'autre côté on voit Mercure avec un gros ventre, travesti en valet, et assez ressemblant au Sosie de Plaute. Il tient de la main gauche son caducée qu'il baisse, comme pour le cacher, afin de n'être pas reconnu. De la main droite il porte une lampe qu'il lève vers la fenêtre, soit pour mieux éclairer Jupiter, soit pour intimider Alcmène... Il porte à sa ceinture un long priape qui a aussi sa signification. Dans la comédie des anciens, les acteurs s'attachaient ainsi un grand phallus de cuivre rouge. (Ἰθύφαλλοι. Suidas, v.) Les deux figures ont des chausses et des bas blanchâtres faits d'une seule pièce, en forme de pantalons, qui descendent jusqu'aux chevilles, comme on en voit aux comiques assis et masqués qui sont dans les villas Mattei et Alboni; car chez les anciens les personnages comiques n'osaient paraître sans chausses sur le théâtre. » (*Histoire de l'art chez les anciens*, t. I, p. 302.)

(2) Vid. *Origines latines du théâtre moderne*, pag. 6, not. I.

CAPUT QUINTUM

CUI POETICÆ GENERI VITALIS CARMINA ADSCRIBENDA SINT. QUÆ DE LINGUA ET METRO NOTANDA.

Ad medium XII^{um} sæculum, ut supra dixi, Vitalis floruit. *Amphitryon* primum, deinde *Aulularia* insignem sibi laudem comparavit.

Ingenia tum quæque optima, ut paulo ante vidimus, quasi e diuturno somno excitata, liberalibus disciplinis atque in primis præstantissimis antiquitatis auctoribus accuratam dare cœperunt operam (1). Sed cum pessimæ inscitiæ labe inficerentur, sæpius in turpissimos incidere errores quos Vitalis noster non effugit. Ipse carmina sua comico generi assignanda esse existimavit; itaque comœdias appellavit, sed perperam. Nemo enim ignorat artis comicæ proprium esse personas inter se diversas inducere, remque in certum actuum ac scenarum ordinem

(1) Vid. 1° Ampère, *Histoire littér. de la France sous Charlemagne,* chap. XXII : « Le mouvement intellectuel qui se fait sentir en France vers la fin du XIe siècle offre tous les caractères d'une véritable renaissance : la connaissance plus répandue de l'antiquité, une plus grande vigueur de pensée qui en est en partie la suite, une impulsion nouvelle donnée aux arts... Le latin de Berenger, d'Anselme, d'Hildebert, de Marbeuf, atteste un commerce assez assidu avec les chefs d'œuvre de l'antiquité. » 2° M. Charles Thurot, *Notices et extraits des Manuscrits,* tom. XXII, page 89 : « A la fin du XIe siècle et au commencement du XIIe, les esprits se réveillent de la torpeur et de l'engourdissement où ils étaient plongés. »

digerere, ita ut fabulam dicendo et respondendo agant, et quum verbis motuque corporis venusto, tum ridiculis, salibus omnique vi comica spectantes usque ad exitum detineant. Vitalem vero *Amphytrionem* suam *Aululariam*-*que* non docuisse neque doceri voluisse ex utriusque carminis expositione supra prolata maxime intelligitur. Neutram enim ex his fabulis comicum opus redolet. Res non ad scenam distributa, sed potius eorum more narratur qui fabellam aut historiam quamdam prescribunt (1), et si quando dialogo locus, hæc verba : « Respondet refert, dicit, subjicit, » (2) aut alia ejusmodi quæ versibus interponuntur, partes cujusque actoris indicant. Quin etiam *Aulularia* in libros non autem in actus et in scenas divisa est (3).

Ceterum hæ voces : comœdia, tragœdia ab antiqua significatione tempore desciverant ita ut sensus medio ævo omnino perturbaretur. Quod altius atque fusius repetendum.

I

Constat enim scenicos ludos qui apud Athenienses, omnium artium inventores, tanto in honore fuerunt, apud Romanos minorem adeptos esse laudem. Plebecula enim indocta et stolida « media inter carmina » poscebat

(1) Mullerus hanc esse suam sententiam his verbis indicat : « Nomina utriusque comœdiæ, si hoc uti possumus vocabulo « ad carmina significanda versibus elegiacis scripta et ridicule « facta, non per homines agentes et loquentes sub oculos subji- « cientia, sed narrantia, nomina igitur valde dubia sunt. » Analect. Bern. part. II pag, 9.

(2) Vit. *Amph.* passim.

(3) *Aululariam* in quatuor libros ipse auctor distribuit.

« ursum et pugiles » pluresque in horas premebantur, teste Horatio, aulæa, dum fugiebant « equitum turmæ peditumque catervæ (1) ; » et cum fabula ageretur sæpius currus, cohortes armaturaque varia popularis admitrationis commovendæ causa transibant (2). Plautus quidem patribus plebique maxime placuit perpetuamque famam habuit. Cæteri vero ejusdem artis poetæ vix accepti. Frustra enim Terentius ait a se Nævium, Plautum, Ennium haberi auctores ; frustra horum « æmulari exoptat negligentiam » potius quam obtrectatorum « obscuram diligentiam (3) » « populus studio stupidus in funambulo animum (4) » occupat, nec patitur fabulam usque ad exitum spectari atque cognosci. Itaque poeta afflictus non multum obfuit quin discederet

Ab studio atque ab labore atque ab arte musica (5).

Scimus autem Cæcilio et aliis multis eamdem fuisse fortunam aut etiam pejorem (6). Quirites enim tragicis comicisve carminibus gladiatorum pugnam arenamque sanguine conspersam semper anteposuere. Quare præstantissimi poetæ fabulas quidem legendas non autem in scenis agendas scribere solebant. Qui mos ab ætate Augusti in primis invaluit.

(1) 1 ep. lib. II, v. 183-193.

(2) Tullius in ep. 126 ludos a Pompeio populo datos sic describit : « Ne id quidem leporis habuerunt, quod solent mediocres ludi : Apparatus enim spectatio tollebat omnem hilaritatem. Quid enim delectationis habent sexcenti muli in *Clytemnestra*, *aut in equo Trojano* craterarum tria millia, aut armatura varia peditatus et equitatus in aliqua pugna ? Quæ popularem admirationem habuerunt, delectationem tibi nullam attulissent. »

(3) *Andriæ* prol., v. 18-20.

(4) *Hecyræ* prol., v. 4.

(5) Ib. alter prol., v. 15.

(6) Ib. v. 6-7.

Laudat quidem Quintilianus Varii Thyestem, Ovidii Medeam et carmina tragica Pomponii Secundi « quem senes parum tragicum putabant, eruditione ac nitore « præstare confitebantur (1). » Nullus autem ex illis fabulas suas docuit (2). Præterea nemo nescit quam acriter in *Dialogo de oratoribus* irrideantur scenici scriptores quorum ea tum erat fortuna, ut, quum, toto anno, per omnes dies, magna noctium parte, unum librum extulissent et elucubrassent, agere ultro et ambigere cogerentur, ut essent qui dignarentur audire (3). Quales fuerint fabulæ illa ætate in lucem emissæ, e Senecæ tragædiis perspicitur (4).

Nec poetæ ab eo genere excolendo tantum deterriti sunt, quod spectantibus mediocrem afferrent delectationem. Sed cum Religio Christiana longe lateque diffunderetur et animos hominum in dies ad se magis atque magis converteret, sancti patres paganorum fabulas et spectacula vehementius insecuti sunt. Nihil enim inhonestius atque damnosius ducebant quam deorum fœdos amores et adulteria cæteraque a bonis moribus abhorrentia, quibus scatent ejusmodi spectacula : « Per omnes civitates, « inquit sanctus Augustinus, cadunt theatra, cadunt et « fora et mœnia in quibus dæmonia colebantur. Unde « enim cadunt, nisi inopia rerum, quarum lascivo et sacri- « lego usu constructa sunt (5). » Quæ superfuerant hujus

(1) Quint. lib. X, cap. I.
(2) Vid. D. Nisard, *Etud. sur les poet. lat. de la Décad.* Tom. I, pag. 132-135.
(3) *Dial. de Orat.*, cap. IX.
(4) V. D. Nisard, *Etud. sur les poet. lat. de la Décad.* Tom. I, pag. 135 et seq.
(5) De *Consensu Evang.* lib. I, cap. XXXII.

modi spectacula a barbaris deleta, ipsaque theatra eversa sunt, et illorum temporum homines in eam scenicæ artis inscitiam incidere ut qualia essent ejus præcepta etiam ignorarent.

Advertendum tamen est quædam ludicra circulatoria et ad agrestem perditamque plebem accommodata, sed quæ etiam ingenuis liberisque viris placerent, singulis sæculis exstitisse : quibus aliquam similitudinem et cognationem cum veterum atellanis fabulis atque mimis fuisse ab omnibus est concessum. In primis Ecclesiæ disciplina innotescunt iidem ludi a quibus abstinere sæpius fideles christiani olim jussi sunt. Alcuinus quidem Caroli Magni ætate in epistola ad familiarem aliquem ait : « Vereor « ne Homerus (Angilbertus) irascatur contra cartam « prohibentem spectacula et diabolica figmenta (1). » Otto frisingensis sequentia refert : « Quum ex more regio « nuptias Inglinheim celebraret, omne balatronum et « histrionum collegium, quod, ut assolet, eo confluxerat, « vacuum abire permisit; pauperibusque ea quæ mem- « bris diaboli subtraxerat large distribuit (2) ». Theganus de Ludovico I° loquens his utitur verbis : « nusquam in « risu exaltavit vocem suam, nec quando in festivita- « tibus ad lætitiam populi procedebant thymelici, scurræ « et mimi cum coraulis et citharistis ad mensam coram « eo, tunc ad mensuram coram eo ridebat populus, ille « nunquam vel dentes candidos suos ostendit (3) ».

Ludicra autem hujusmodi neque tragœdiæ neque

(1) Apud Edel. du Méril. *Orig. lat. du théâtre moderne,* pag. 28, not. 1ª. Vid. etiam Ampère. *Histoire de la formation de la Langue française,* pag. XXV.

(2) Apud Edel. du Méril. *Orig. lat.* etc., pag. 28, not. 2ª.

(3) *De gestis Ludovici pii* apud du Chesne. *Histor. Francorum scriptores*, tom. II, pag. 279.

comœdiæ nomen obtinebant, iisque nulla cum antiquitatis fabulis quales illustrarunt atque docuerunt scenici poetæ, affinitas erat. Horum tamen ludorum memoriam non penitus evanuisse monumenta testantur; nam Plauto et Terentio jam IX° et X° sæculo sui fuere amatores. Asservatur enim in bibliotheca vaticana, teste Fabricio, celebris codex Terentii, quem ævo Caroli magni quidam Hrodogenes descripsit et Calliopius scholasticus recensuit, ut post singulas comœdias et nota quadam apparet. Superest etiam in Anglia codex Plauti qui XI sæculi esse dicitur (1). Eodem fere tempore jam scriptor nomine Eugraphius commentaria in Terentii comœdias composuit (2), et Notker Balbulus profitetur se rogatum esse quum alia scripta tum Terentii Andriam in germanicam linguam vertere (3). Scimus etiam illis temporibus Virginem Deo addictam, nomine Hrotsuitham, Andriæ auctorem imitatione prosecutam, ut de re nos ipsa præmonet, et illius arte in sanctorum laudibus et egregie factis morumque integritate effingendis usam esse. Scripta quidem reliquit pia virgo in quibus colloquentes inducit personas, quæque comœdias appellavit. His neque elegans oratio neque venustas deest; affectusque præcipue qui dulciores sunt vel maxime commendantur. Sed a Terentii fabulis arte et ductu multum differunt Hrotsuithæ opera. Sunt etiam qui dubitent hanc illius comœdias unquam vel levissime inspexisse (4).

(1) Vid. Edel. du Méril *Orig. latin. du théâtre mod.*, pag. 32 et M. Chassang, *Essais dramatiques imités de l'antiquité,* pag. 4.

(2) *Essais dramatiques imités,* etc., pag. 16.

(3) Ed. du Méril *Orig. latin.,* pag. 32, not. 8; Chassang, *Essais dramatiques,* pag. 16.

(4) Edel. du Méril *Orig. lat. du théâtre moderne,* pag. 32.

Utcumque autem ea res se habet, per totum medii ævi spatium voces tragœdia et comœdia significationem ad modum incertam atque ambiguam retinuere, ut certis indiciis confirmatur : « poesis est scientia, inquit gram-« maticus quidam illorum temporum, quæ gravem et « illustrem orationem claudit in metro, quæ ad simi-« litudinem IIII virtutum obtinet IIII species, scilicet « comœdiam, tragœdiam, satiram et elegiam. Comœdia « agit de moribus v personarum, scilicet senum et ju-« venum, servorum, matronarum et ancillarum, ut « comœdia Terentii ; tragœdia, de infelicitate sublimium « personarum, ut facit Lucanus et Statius ; satira, de « variis viciis et peccatis, ut facit Oratius, Persius, Ju-« venalis ; elegia, de affectionibus amantium, ut Ovi-« dius (1), » Comœdiæ vero et tragœdiæ sensum non multum absimilem tribuit Dantes, in epistola ad familiarem quemdam insigni de Paradiso poemati præfixa : « Est comœdia, inquit, genus quoddam poeticæ nar-« rationis ab omnibus aliis differens. Differt ergo a « tragœdia per hoc, quod tragœdia in principio est « admirabilis et quieta, in fine sive exitu, fœtida, hor-« ribilis... comœdia vero inchoat asperitatem alicujus « rei, sed ejus materia prospere terminatur (2). » « Apud eumdem : « per tragœdiam superiorem sty-« lum induimus, per comœdiam inferiorem (3). » In « quodam illius temporis commentario prima Virgilii *Ecloga* : « dramaticon » dicitur esse carmen, id est,

(1) *Notices et extraits*, etc., tome XXII, 2e part. pag 418.
(2) Apud Ed. du Méril *Orig. lat. du Théâtre moderne*, pag. 33, not. 2a.
(3) Apud Chassang, *Essais dramatiques imités de l'antiquité*, pag. 17.

« fabulosum (1). » Jam VII° sæculo ad gravem narrationem, cui colloquentium sermones intermixti sunt, significandam, est adhibitum tragœdiæ nomen. Sic colligit Mullerus e codice Bernensi, in quo carmen legitur omnem Agamemnonis familiæ historiam narrans, cui titulus : *Orestis tragœdia* (2). Narratis igitur luctuosa et miserabilis medio ævo tragœdia dicebatur ; ridicula vero et faceta comœdiæ nomen retinebat, et ob id ipsum Vitalis Amphytrionem suam atque Aulularíam appellavit comœdias.

Neque unus huic poeticæ generi operam contulit, sed ejusdem laboris consortes et æmuli exstitere in primis Matthæus Vindocinensis qui, procul dubio, cum junior esset, nondum elucubrato ingenti illo de *Tobia carmine* sese ad Vitalis imitationem accinxit. Nam Osannus notavit Matthæi *Aldam* iisdem verbis atque *Aulularíam* clausam esse prioremque ex altera desumptam (3). Sed idem auctor in primis *Amphitryonem* imitatus, quam laudem hæc fabula Vitali meruit, utique æmulatus est. Tres enim comœdiæ quas confecit, *Alda*, *Milo*, *Miles gloriosus*, virum ab uxore deceptum singulæ exibent. Ea vero est præcipue *Milonis* cum *Amphitryone* cognatio ut notanda videatur. Afra enim Milonis uxor, eximiæ pulchritudinis, absente viro, conjugii fidem cum rege violat. Milo autem redux ex agris domum, stricto gladio, ut apud Vitalem Amphitryon ingressus, recentis facinoris indicia certa

(1) Vide Ed. du Méril, *Orig. lat., etc.* pag. 34 : quæ verba inveniri dicuntur apud Ravaisson, *Catalogue des man. de la bibl. de Laon,* pag. 194.

(2) Mull. *Anal. Bern.*, pag. 9, not. 20

(3) Vit. *Amph. et Aul.* ab. Osan. ed. pag. 62, in notis.

reperit. Itaque Afram respuit. Sed ab uxoris fratribus in judicium vocatus, quod vitem sorori in dotem datam jam non impigro labore colebat, luculenter causam ipse orat dicens se vitis cultura a leone quem circum eam viderit frementem prohiberi. Quo crimine rex quidem adstrictus et simul rei cognitor Milonem absolvit, qui insidiæ immemor Afram in gratiam recipit sinceramque jungit amicitiam.

Eidem autem generi et eidem sæculo *Alda* fabula referenda quæ Guilelmi Blesensis esse dicitur, et *Comœdia Babionis* (1) Vitali, ut infra videmus, perpearm tributa. Ex quibus plane intelligitur homines, ut illis temporibus, non rudes et inculti scenicæ arti etiamsi penitus ignorato operam quamdam contulisse.

II

Ut vero voces comœdia et tragœdia, sic aliæ a prisco sensu tempore desciverant; quædam præterea e medio arcessitæ quæ nunquam Romæ in usu olim fuerant, fidem habuere. Pannenborg quidem de *Ligurino* disserens, pro virili parte exposuit qualis tum fuerit dicendi copia et latinitas (2). Idem multa collegit et singularia e quibus pauca apud Vitalem inveniuntur, primum quod non multo plus quam bis sexcentos versus ejus *Amphitryon* et *Aulularia* continent, deinde quod litteris et liberalibus studiis vacavit, antequam grammaticorum atque dialecticorum inanibus atque irridendis disputationibus ingenia omnino corrupta essent.

(1) Vid. Ed. du Méril, *Orig. lat.*, etc., pag. 34, n. 1[a].
(2) Pannenborg de *Ligurino* pag. 171 et seq.

Sunt tamen apud eum quædam illius ætatis vestigia non indigna quæ notentur.

Primum grammaticæ præcepta in oblivionem magna ex parte deciderant. Scimus enim Prisciani elementa in scholis explicari et disci solita esse, sed aliquando perperam. Vix grammatici suspicabantur qualem convenientiam verborum tempora et modi inter se requirerent, ideoque eadem sæpius in illius ætatis carminibus adulterabantur. Quibus hæc vitia communia esse acute notavit Pannenborg (1), et in primis Car. Thurot apud quem sequentia referuntur : « tempus non est principium « constructionis verbi cum nomine vel pronomine nec a « parte ante nec a parte post, *cum nullum requirat* « *modum significandi* similem vel proportionalem ei (2).» Unde loco infinitivi instantis futurum adhibetur, atque ut in *Ligurino*, testante Pannenborg (3) adfore et abfore pro adesse et abesse, sic fore pro esse in *Amphitryonis* versibus 324, 360, 376, 394, 532, etc., usurpantur. Futurum indicativum *erit*, grammatica instans *est* postulante, in ejusdem versibus 82, 144, etc., et in *Aululariæ* 254, etc., adhibetur. Loco etiam perfecti plus quam perfectum profertur tempus et passim in utroque Vitalis carmine legitur : senserat, dixerat, responderat, etc., cum præcepta libentius desiderarent : sensit, dixit, respondit (4). Quam orationis consuetudinem in omnibus

(1) de *Ligurino* pag. 174.
(2) Vide : *Notices et extraits des manuscrits* IIᵉ part. pag. 226. Ibidem sequentia leguntur : « On ne songeait pas qu'il pût y avoir, soit entre les modes, soit entre les temps une certaine correspondance, et on n'envisageait que la construction du nom avec le verbe. » Pag. 227.
(3) De *Ligurino*, pag. 174.
(4) Ms . A, v. 261, 254 et 257.

medii ævi poetis reperiri Pannenborg testatur (1). In enuntiationibus vero ex aliis pendentibus promiscue inducitur verbum in subjunctivo aut indicativo. Cujus licentiæ duo exempla tantum proferenda, unum ex *Amphitryone* in quo legimus :

Dic age quo pacto, quibus artibus Amphitryonem
Fallis (2),

alterum vero ex *Aulularia* :

Fingite me talem, quem sors audire minantem
Horreat, et magica qui sit in arte potens;
Qui piet adversam sortem quique imperet astris
Carmina, qui superis imperiosa *facit* (3).

Quum reliqui poetæ, tum Vitalis hac licentia a grammaticis concessa sine verecundia usus est, plerumque tamen aut sua natura, aut optimorum antiquitatis scriptorum exemplo, ad quorum imitationem mentem direxerat, ut infra dicam, his vitiis abstinuit; in quæ nunquam aut admodum raro incidere qui tum præstantissimi solutæ orationis scriptores fuere, ut Abailardus, sanctus Bernardus, Vincentius Bellovacensis, Johan. Saresberiensis. Nam illi ab ipsis auctoribus dicendi elementa atque præcepta didicerant, quæ a grammaticis ignorabantur.

Notanda etiam alia vitia Vitali cum omnibus ejusdem ætatis scriptoribus communia. Conjunctio enim *quod*, et infinitivi locum, qui cum accusativo construi deberet, et aliarum conjunctionum ut, ne, etc., sæpius obtinet; quod ex sequentibus dicendi rationibus atque modis

(1) De Ligurino, pag. 174.
(2) Mss. A., v. 357-358.
(3) *Aul.*, v. 325-329.

perspicitur. Exempli causa hæc in *Amphitryone* leguntur : probare scio quod (v. 34); quod moriar timeo (v. 195); sic totus tumeo quod (v. 204), etc. Apud Vitalem etiam, pronomen *suus* pro *ejus* adhibetur, ut in Amphitryone :

..... Vir adest suus (ejus) (1)
Penderet collo sarcina nostra suo (ejus) (2).

Cum pronomina *hic et ille* inter se opponuntur, eorum ordo vulgaris nunc mutatur nunc servatur, aut etiam eorumdem loco, *hic* iteratur, ut in *Amphitryone* : *instat hic, hic clamat* (v. 203), *cessat hic, hic exit* (v. 209), etc. (3). Eadem vitia frequentius in Ligurino reperiri advertit Pannenborg (4).

Idem etiam testatur illorum temporum poetas verbis compositis uti solitos quæ de industria arcessiverint (5). Hæc autem apud Vitalem non raro occurrunt, et diligenter collecta, quin et creata. In hunc numerum referenda sunt sequentia ex *Amphitryone* desumpta : refulguro (v. 43), irrediturus (v. 80), subinfero (6) seu sub incido (v. 89) (7), semireclusus (v. 340) (4); et ex *Aulularia* impercuratus (v. 245), impræconsultus (v. 346), assimilativus (v. 350), garrulitas (v. 360). Quibus etiam addenta : logicus (*Amph.* v. 167), esse ibidem (v. 176), vim nominis habens; altero-as in *Aululariæ* versibus

(1) Msr. A. v. 59.
(2) Ib., v. 154.
(3) Quæ licentia Taciti exemplo confirmatur. Nam in lib. IV, cap. 55. *Hist.* legitur : « ..... Miscuere sese Julius Tutor et Julius Sabinus; hic Trevir, hic Lingon. »
(4) De *Lig.*, pag. 174.
(5) Ib., pag. 175.
(6) Edit. Mull.
(7) Edit. Osan.

(287, 436), et ibidem (v. 595) spiron. Bolismus vocabulum quod in ejusdem carminis versu 121° legitur, Avicennæ deberi qui hoc pro buli mo perperam usurpaverit, Osannus affirmat (1). Verba quidem juro, probo, comprobo, sæpius repetita, nunc antiquum morem retinent, nunc ab illo paululum desciscunt (2).

Quæ locutio « fama jurat, » ex *Amphitryonis* versu 60 nunquam cinctutis cethegis exaudita est. Hæc autem *Amphitryonis* vocabula : obtenebro (v. 54), submurmuro (v. 185), grossus (v. 349), et *Aululariæ* : ex tunc (v. 91) non antiquis quidem, sed classicis scriptoribus penitus ignota sunt. Verbum *sustineo* in ejusdem *Aululariæ* versu 54°, idem atque affirmo significat. Advertendum denique ibidem : non invideatis pro ne invideatis (v. 534), et ve pro que, ter repetitum (v. 193, 198) reperiri.

Glossemata quidem similia iis quæ ipse in Vitalis operibus, Bossuet in latina *Psalmorum* translatione dicta *Vulgata* annotavit. Qui primum ait tempora verborum alia pro aliis adhiberi : « pariunt, inquit, obscuritatem « in verbis conjugandis, temporum non satis observata « discrimina, cum præteritum pro futuro, aut vicissim « ponunt : præsentis quoque temporis ambigua plerum- « que apud Hebræos nota (3). » Animadvertit etiam idem verba composita, ut est : « corrigere pro regere vel diri- « gere.., convertere pro reverti, sæpe pro avertere, aut « simpliciter vertere, vix ullo persæpe præpositionum « discrimine, non modo in verbis compositis, sed etiam in

(1) Idem verbum etiam in Aulul. (v. 405.)

(2) Vid. Osan. pag. 38 in not. — Apud eumdem, pag. 39, Barthius ait has locutiones : *graves animos, si quid male sentis*, germanica aut gallica esse glossemata.

(3) *Dissertatio de Psalmis*, cap. VII, XXXVIII.

« universa phrasi (1) ; » tandem : « causales particulas, « quia, quoniam ; sæpe pro etenim, pro tamen, pro « quamvis, pro cum (2) » poni. Quibus quidem hæc subjungit episcopus Meldensis : « Nostri enim inter- « pretes, quod fatendum est, dum se plebeio sermoni « et vulgi captui accommodant, nihil barbarismos aut « solœcismos veriti, atque omnino ex græco malo lati- « num pejorem fecere (3). » At Ch. Thurot in opere supra allato passim testatur medio ævo, etiam cum de orationis sanitate et integritate stylique elegantia ageretur, primum Biblia sacra deinde sanctos patres omnibus anteponi solitos (4). Ex hoc igitur duplici fonte præcipua vitia manarunt quibus illorum temporum opera infecta sunt.

III

Scriptores tamen optimum quemque antiquorum in manibus habebant, ad cujus imagines, quantum in ipsis erat, sese conformabant. Inter poetas autem, Maroni, teste Pannenborg de *Ligurini* versificatione et latinitate disserente, primæ deferebantur, deinde Lucano, Ovidio, Terentio, Horatio, Statio, Juvenali atque etiam Plauto. Inter scriptores vero prosæ orationis, Sallustio, Suetonio, Livio, scripta etiam Ciceronis quædam probabantur, Cæsarisque Commentarii in primis XII° sæculo magnum sibi favorem conciliavere. Item de Bibliis sacris latine expressis et de sanctissimis patribus qui præstantissimis

(1) *Dissertatio de Psalmis,* cap. VII, XXXVIII.
(2) Ib.
(3) Ib.
(4) Vid. *Not. et extr.*, etc., pag. 60.

libris atque orationibus Religionis Christianæ patrocinium susceperunt. Ex quibus acceptissimos fuisse ait Pannenborg sanctum Augustinum, Lactantium, Tertullianum, Gregorium Magnum (1). Huic vero indici a Pannenborg elucubrato ille conferendus est quem circa ultima XI[i] sæculi decennia in opere inscripto de *Arte lectoria*, Aimericus grammaticus protulit (2). Qui omnem scriptorum copiam in quatuor genera distribuit a litteris sacris incipiens. « Super omnia, inquit, hoc notandum, quo-« niam, sicut genera metallorum quatuor illa, aurum, « argentum, stagnum, plumbum, sic et genera scrip-« turarum quatuor ista, autentica, agiographa, communia, apocrifa (3). » His præmissis primum aureo generi varios litterarum sacrarum libros, deinde sanctorum patrum opera adscribit. Argentei generis quosdam veteris novique Testamenti libros ait esse (4), quibus subjungit librum epistolarum Cypriani martyris, libros Ambrosii, Hieronymi, Hilarii, Augustini, Gregorii, canones quatuor conciliorum principalium, etc.. Stagneo seu communi generi referuntur reliqui scriptores qui tum exstabant, ut Beda, Sedulius, Prudentius, Arator, etc., cæteri expositores, passiones martyrum sanctorum, etc. (5).

In similia quædam genera idem grammaticus profanæ antiquitatis scriptores partitus, aureo genere distinguit

(1) Pannenborg de *Ligurino* pag. 190-191.

(2) *Comptes-rendus des séances de l'Acad. des Inscript. et Belles lett.* année 1870, nouvelle série, tome VI, pag. 244.

(3) Ib. pag. 249.

(4) « In argenteo : liber Danielis prophetæ, liber Sapientiæ, liber Ecclesiasticus, liber Esther, liber Tobiœ, liber Judith, libri Machabeorum duo, epistola ad Hebræos. »

(5) Ib.

Maronem, Horatium, Ovidium, Sallustium, Lucanum, Statium, Juvenalem, Persium ; « subrogativo » autem, id est, argenteo : Plautum, Ennium, Tullium, Varronem, Boetium, Donatum, Priscianum, Sergium, Varum, Platonem translatum ; tertio tandem, id est, communi genere : Catunculum, Homerulum, Maximianum, Avianum, Æsopum (1). Eosdem vero veteres poetas in libro cui titulus : *Laborintus*, commendat Everhardus, quibus non pauci adduntur recentiores et ipse Vitalis Blesensis (2). Ex sacra igitur et profana antiquitate medii ævi scriptores quum verba verborumque structuram, tum etiam sententias atque doctrinam omnem desumebant. Itaque poematibus tum in medium prolatis cum illis vetustioribus certa inest cognatio et simul genuina indoles illorum temporum barbaria signata.

Vitalis quidem latinis poetis assiduam operam contulerat et ex eis saporem quemdam vernaculum et parabilem styli colorem extulit. Utriusque vero fabulæ oratio indicat Ovidium, Virgilium et Horatium, auctores in primis illi esse habitos. Idem præcipua Ovidii carmina qui metrum quo usus est noster, maxime adhibuit et quasi suum fecit, procul dubio perlustrarat ; et ex eo verba verborumque comprehensiones sæpius adscivit. Hæc enim sequentia « refugis fluctibus (3) » « furca subeunte bicorni (4), »

(1) *Comptes-rendus de l'Acad. des Inscrip. et Belles-Lettres*, nouv. ser. tom. VI, pag. 250.

(2) Ib., pag. 260.

(3) Ovid. *Metamorph.*, x, v. 37 :

.... Nec Tautolus undam
Captavit refugam.

(4) Furca levat ille bicorni (*Phil. et Baucis* v. 38).

.... Athenis
Dicere longa mora est, quæ quotve tuli (1),

ex variis Ovidii poematibus expressa sunt. Bortius harum rerum diligens investigator cum his verbis : « crescit edendo fames (2) » confert etiam illud Ovidii :

.... Semperque locus fit inanis edendo,

Multa quoque a Virgilio sumpta; nec omnia quæ imitatus est Vitalis, referam. Quis vero legens non agnoscit hæc *Amphitryonis* verba :

Assurgent Getæ redeunti (3)...
Accrescet nomen mihi (4)...

aut illa *Aululariæ* :

... Mens conscia quærere verum (5)...

ex his Maronis versibus ducta esse :

Utque viro Phœbi chorus assurrexerit omnis (6).
... Hedera crescentem ornate poetam (7) ....
Mens sibi conscia recti (8),

quæ in *Eclogis* et in primo *Æneidos* libro reperiuntur.

Quin etiam dulces illos ac teneros animi motus, quos maxime commendavit Virgilius, interdum Vitalis attentavit, atque illius summi poetæ quasi colorem quemdam expressit. Supremis enim verbis quæ protulit Euclio moriens, in externa regione atque uno comitante servulo, sua inest suavitas et jucunditas :

(1) ..... Quorum mihi cuncta referre
Nomina longa mora est (*ex Ponto* IV, 16, 37).
(2) Vital. *Amphit.* apud Osonum, pag. 3, in not.
(3) Ms· A., v. 233.
(4) Ib., v. 235.
(5) Vid. Vit. *Aul.*, v. 65.
(6) Vid. Virg. *Eclog.*, VI, v 66.
(7) Ibid., VII, v. 35.
(8) Vid. *Æneid.*, v. 604.

Nos peregrinantes jam septimus invenit annus.
  Absumus a patria ; tarda senecta nocet.
Heu miror talemque locum mihi funeris esse ;
  Nec de communi conditione queror.
Lex est naturæ ; solvi sociata necesse est ;
  Dispensat sedem funeris ira Deum.
Dulce mori in patria, dare dulcis oscula natis,
  Sortiri heredes, ponere cuique suum,
Conjugis illabi lacrymis humerisque parentum,
  Ignibus imponi matre tenente facem.
Funeris hic ordo est ; hæc sunt solatia mortis,
  Si non pulchra satis, qualiacumque tamen (1).
Sardana te solum mihi sors irata reliquit,
  Meque tuo officio mater habebit humus (2).

Horatio autem magis quam Ovidio atque Maroni Vitalis studuisse videtur. Ab eo aliquod ingenii acumen multosque sales sibi vindicavit. His enim versibus aliisque plurimis apud Horatium similes inveniuntur quos longum sit referre atque supervacuum, cum omnium mentibus hæreant :

Non primo vivebat herus, sed pane secundo (3).
Pars est salva mei, salvetur ut altera quæso (4).

(1) Quum multi alii Virgilii versus, tum illa præcipue verba Euryali matris, in memoriam ea quæ supra retulimus legentium incurrunt :

Hunc ego te, Euryale, aspicio, tunc illa senectæ
Sera meæ requies...
.... Nec te sub tanta pericula missum
Affari extremum miseræ data copia matri ?

Heu ! terra ignota, canibus data præda latinis
Alitibusque jaces ! nec te, tua funera mater
Produxi, pressive oculos aut vulnera lavi.

Æn., lib. IX, v. 481-88.

(2) Vid. *Aul.*, v. 215-227.

(3) Vid. Vital. *Amph.*, v. 161, et Horat. *Epist.*, lib. III, v. 123 :
Vivit siliquis et pane secundo.

(4) Ibid., v. 137, et Horat. *Od.* lib. I, III, v. 8 :
Et serves animæ dimidium meæ.

Cum autem poeta ille noster in pythagorea somnia invehitur dicens :

> Odi Pythagoram, quia carnibus horruit uti
> Et sibi cognatam credidit esse suem (1),

Horatiana ad illa verba procul dubio memoriam revocabat :

> O quando faba, Pythagoræ cognata (2), etc.

Idem ex illo præstanti poeta Pantolabi (3) nomen Querulo servientis duxit, et ad ejus exemplum summam mortis potentiam atque vim expressit. Dixit enim in *Epistola ad Pisones* Flaccus :

> Debemur morti nos nostraque.....
> ..... Mortalia facta peribunt (4).

Atque Vitalis in *Amphitryone* :

> Omnia mors tollit; doctum cecidisse Platonem
> Atque ipsum Socratem succubuisse ferunt.
> Fama tamen vivet. Sed et hæc quoque morte peribit;
> Omnia mors delet, omnia morte cadunt (5).

IV

In numeris autem fabularum nostrarum pauca etiam notanda atque animadvertenda. Versificatio enim Vitalis multis vitiis Card. Ang. Maio laborare visa est, e quibus fere omnibus *Amphitryonem* ad quindecim codices collatam Osannus purgavit. Idem unum alterumque *Aulu-*

(1) V. Vit. *Aul.*, v. 64-65.
(2) Horat. *Satirarum* lib. II, VI, v. 63.
(3) Vitalis Pantomalum in Pantolabi nomen mutavit quod mutuatus est ab 8ª satyr., lib. I, v. 10 :

> Pantolabo scurræ Nomentanoque nepoti.

(4) Horat. *Ars poet.*, v. 63-68.
(5) Ms. A., v. 179-182.

lariæ locum a metro abhorrentem emendavit (1), adeo ut poeta noster non minus quam quivis alius serioris ævi purus tersusque prodeat. Advertit quoque Osannus eumdem primam quidem vocalem *verbi præesse* in Amph. v. 477° et in Aul. v. 564° corripuisse; monosyllabum autem *deest* (Amph. v. 345) protulisse, sed hanc licentiam ex optimis veterum poetis sumpsisse.

Metrum igitur nulla ex parte claudicat, « si pauca « quædam excipias, quæ Vitali peculiaria sunt, qualis « est perpetua syllabæ primæ nominis *Geta* productio, « de qua v. *ad Amph.* 5, vix alia ejus generis vitia « deprehenderis, quæ recentioris ævi poetastris propria « sunt. Una vero in re poeta abusus est auctoritate majo- « rum, producendo brevem syllabam in penthemimeri « collocatam (2). » Vitalis autem in vitia ab Osanno vituperata non inscitia neque ingenii infirmitate incidit. Verum venia usus est ab omnibus illius temporis grammaticis concessa. Qui nimirum, cum antiquitas nulla de metro et numeris scripta reliquisset, de hac re commentationes admodum rudes et indoctas e poetarum exemplis in certum doctrinæ corpus pro virili parte redegere. Cumque duplex versuum genus, scilicet, metricum et rhythmicum excoleretur, e metricis præcepta tantum quæ ad hexametrum atque pentametrum pertinerent collegere (3), alios vero numeros tum ab Horatio tum a poetis scenicis adhibitos fonditus ignoravere. « Pedes, inquit « grammaticus quidam apud Car. Thurot, sunt cen-

(1) Osan. præf. ad Vit. *Eclog.*, pag. XIV-XV.

(2) « ..... Dès lors (XII° siècle), on ne faisait plus que des hexamètres et des pentamètres. » *Notices et Extraits des man.*, pag. 440.

« tum xxiiii. Moderni tamen non utuntur nisi tribus « pedibus, dactilo, spondeo et trocheo (1). « Ad statuendam vocabulorum quantitatem ibidem præcipitur ut « ad « exempla nobilium autorum diligens versificator recur- « rere assuescat; » atque etiam illud subjicitur : « scien- « dum est quod omnis syllaba cognoscitur exemplo, id « est auctoritate alicujus boni autoris, ut Virgilii vel « Lucani (2). » Horum quidem poetarum et aliorum apud antiquos probatissimorum quos supra laudavi vestigiis insistebant. Illis autem non paucos promiscue adjungere solebant recentiorum temporum versificatores, quibus eadem procul dubio auctoritas tribuebatur. Etenim prosodiæ præcepta Paulinus Nolanus, Sidonius Apollinaris, Prudentius, Sedulius quorum carmina omnis generis vitiis abundant, non minus quam Virgilius atque Horatius suppeditabant (3). Quibus erat omnibus una fides, et cum deficerent auctorum exempla tum assignabatur quantitas exquirendo unde ductum esset vocabulum (4).

Corpus vero doctrinæ, ea de re, a grammaticis elaboratum præterea ferebat syllabam brevem quæ in tertii pedis incisionem incideret seu in penthemimeri collocaretur, libenter produci posse; ideoque jure suo id præceptum Vitalis secutus est, quod Osannum a quo ille reprehenditur utique præteriit. Docebatur etiam propriorum nominum et præsertim primæ syllabæ quanti-

(1) *Notices et extr.* etc., pag. 440.
(2) Ib. pag. 425-426.
(3) Ib. pag. 424.
(4) Ib. pag. 426 « on tirait des arguments de l'étymologie « pour décider les cas douteux. »

tatem ad versificatoris arbitrium proferri posse vel corripi. Nam Alexander de Villa Dei apud Car. Thurot ait :

> Ad placitum, propriorum multa notavi (1),

et ibidem :

« Omnis prima sillaba proprii nominis indifferenter « ponitur nisi longa vel brevis in aliqua auctoritate inve- « niatur, ut Juppiter, Juno..... et nisi dyptongata, ut « Eufrates, vel positione longa, ut Marcus, vel regula « brevis, ut Johannes (2). » Non igitur mirum est Vitalem vocalem *e* vocis *Geta* corripuisse. Brevis vel longa erat vocalis, cum muta et liquida sequebantur « quoties- « cumque, inquit grammaticus quidam apud Car. Thu- « rot, mediis sillabis muta et liquida sequuntur aliquam « vocalem, illa vocalis corripitur, quantum est de se, ut « aratrum. Produci tamen potest per naturam geminæ « consonantis et sic potest ad indifferentiam se habere (3). » Ibidem multa invenias ejusmodi exempla : « commatres, « fratres, simulacrum. » Unde Vitalis jure suo vocalem *o* in voce Socrates (Amph. v. 180) corripuit. Versificator etiam, grammaticorum jussu, in eodem versu vocalium vel consonantis *m* elisionem effugere debebat :

> Dictio vocali finita vel m sibi subdi
> Versu vocalem nunquam permittit eodem (4),

Quotiescumque vero hiatus occurrebat, ille pro cæsura

(1) Notices et Extraits, etc., pag. 425.
(2) Ib. pag. 426.
(3) Ib. pag. 425.
(4) Ib. pag. 445.

habebatur : hæc enim in opere inscripto Notices et extraits, etc., leguntur :

Altera cesure species, si subjiciatur
M vel vocali vox cujus littera prima
Vocalis, nec in hiis ideo collisio fiet,
O utinam populum hunc salvet gratia Christi (1).

Huic versificationis rationi vel maxime sequens *Amphitryonis* versus congruit :

Atque ipsum Socratem occubuisse ferunt (2).

Hiatus tamen sexdecim numeravi qui in apta Mulleri editione cæsuræ locum non obtinent. Omnes autem ex variis codicum lectionibus facillime corrigi possent. Osannus ait etiam Vitalem a recta metri diligentia semel descivisse, ubi *furando* et *restituendo* ultima vocalia corripiuntur (3); in quo plane erravit, si quidem hæc tum prosodiæ lex erat : « gerundivum in ablativo terminatur in hanc vocalem *o* indifferenter (4), » et ob idipsum grammatici dicebant gerundivum non nomen sed verbum esse. Denique Vitalis vocis *necessarius* qua antiquitatis poetae heroici abstinuere ante penultimam corripuit, ut Aululariæ v. 71, 74, 76, 77 ferunt ; id autem ipsa metri necessitate coactus sibi indulsit, vel putavit ex vocabuli etymo vocalis *a* corripiendæ licentiam dari. Cui hæc conferenda quæ in Ligurino invenitur, ubi altera vocalis *e* vocis *Ecclesia* breviatur, quanquam in vocabulo græco ἐκκλησια e quo latinum illud ductum est, eadem

(1) *Notices et extraits des manuscrits*, pag. 448.
(2) Ms. v. 180.
(3) Oson. præf. pag. xv.
(4) *Notices et extraits* etc. pag. 37 : « Quantitas voc. o in « gerundivis cum quantitate ejusdem vocalis verborum confer- « tur in quibus semper voc. o indifferenter sumitur. »

vocalis producitur, ut ipsa vocis scriptura indicio est; « et quia scribitur per η, inquit Asconius, produci debet cle, quam imperiti corripiunt (1). »

Metrum igitur, in Vitalis carminibus, cum præceptis ab illius ætatis grammaticis in medium prolatis vel maxime congruit. Idem vero hæc vitanda imperitiæ et barbariæ vestigia non curavit. Nam quæ nunc reprehendimus, ea tum in primis legentes delectabant. Itaque si poetæ nostri carmina sano antiquitatis judicio magis accessissent, minorem sibi certe conciliassent favorem (2).

(1) de *Ligurino*, pag. 190.

(2) Vide : Hist. littér. de la France, tom. XXII pag. 46, ubi de Vitalis *Amphitryone* agitur : « On peut dire que comme les écrits « de ce genre n'étaient pas faits pour instruire, mais pour plaire, « s'ils étaient restés plus fidèles aux idées, au goût, à la forme « d'un autre âge, ils auraient été moins compris. »

CAPUT SEXTUM

IN VITALIS CARMINIBUS QUÆ NOTANDA ET ANIMADVERTENDA. — QUÆ IN IISDEM LAUDANDA. — QUÆ DE REBUS PHILOSOPHICIS SUMPTA.

I

Vitalem non reprehenderim, quod æquales poetas secutus prosodiæ regulis de quibus supra dictum est, usus sit, nec novorum vocabulorum insolentiam et insulsitatem effugerit. Omnes enim qui probari volunt, legentium voluntatem intuentur, et ad eorum arbitrium sese accommodant.

Vitia autem quæ in Vitalis carminibus invenias, magno tum in honore erant. Quin etiam nugas quasdam et ineptias ingenii loco habitas versificatores affectabant. Is enim ad summum perfectæ absolutæque poeticæ fastigium ascenderat, in cujus versibus verba consequentia ab iisdem litteris frequenter inciperent, crebro contraria compararentur, pugnantia conferrentur et idem in eodem disticho non semel sonarent. Per omnia etiam vocabula ex eodem radice nata insanam loquacitatem exercebant. In *Aulularia* enim legimus :

Hoc lare bina Lari data sunt altaria quondam
  Fortunamque laris fecimus esse Larem.
Lar datus est tutela lari; malus est mihi tutor,
  Quem male si tuear, non bene tutus erit.
Qui tutoris eget, misere commissa tuetur;
  Si mihi Lar deus est, cur eget ille mei? (1)

(1) Vitalis *Aul.*, v. 89-99.

Hujusmodi puerilia nemo nescit in clarissimis medii ævi poetis sæpius occurrere, ut apud Baldricum, Marbodum, Matthæum Vindocinensem. Nec eadem omisere quum alii antiquissimi Latii scriptores quum Plautus præstantissimus poeta, ut in *Amphitryonis* prologo :

Justam rem et facilem esse oratum a vobis volo :
Nam juste ab justis justus sum orator datus :
Nam injusta ab justis impetrari non decet;
Justa autem ab justis petere, insipientia est (1).

Venia igitur dignus noster, nam multo minus quam cæteri ejusdem ætatis hac labe vitiatus est. Qui veteres imitatus versus omni lepore et elegantia conditos interdum perfecit ipsosque veteres fere æquavit, ut in his *Aululariæ* versibus :

Nihil vacuum est; levitate sua circumfluus aer,
  Non patitur vacuum vel semel esse locum.
Ut nullum excludit, ita nulli excluditur aer,
  Sed meat occultis corpora cuncta poris.
Nescia densari facit hæc substantia, nullus
  Aeris ut teneat plus minusve locus.
Nec fugit opposito, nec adempto corpore abundat (2).

In Vitalis operibus sententias concisa et firma brevitate expressas non raro reperire est, quæ mentem veluti aculei feriant et excitent. Quod exemplis supra confirmatur. Interdum etiam rerum personarumque imagines ad vivum depictæ lectorum oculis, ut ita dicam, subjiciuntur. Vidimus enim splendide ornatas Alcmenæ ædes Jovem viri loco recepturæ, et Getam se ipsum vitamque omnem describentem.

(1) Plaut. Amph. prol. v. 33-36.
(2) Vit. *Aul.*, v. 629-635.

In universum vero fatearis vi poetica caruisse et cogitandi laborem ægre tulisse Vitalem. Non enim idem satis meditatam, nec ex omni parte exploratam et perspectam rem tractat, ut qui humanæ vitæ attentis oculis observatæ veram imaginem referre studeat. Nam ex ingenti illa fabula *Querolo* Aulularium suam vix extulit, quæ non amplius 626 versibus constat. Quin etiam ad hoc spatium conficiendum eidem carmini inania quædam ex seipso adjecit. Itaque Vitalem jure dicas non imperitum quidem alumnum æqualium doctorum. Sed accepto artis instrumento non ita feliciter usus est ut vere poeta appelletur. Cui quum aliæ virtutes, tum in primis vis comica deest; et quanquam ridicula et faceta quædam occurrunt, non tamen secrevit quæ argumenti partes fusius explicandæ essent, quæ vero comprimendæ aut etiam prætermittendæ.

Hanc in reprehensionem poetam nostrum incurrisse si *Aululariam Querolo* coutuleris manifestum erit. Inducuntur enim in illo vetere carmine Lar et Querolus e diverso disputantes quum de aliis rebus tum de vi divina quæ mundum regit : « Quare, inquit Querolus, injustis bene est et justis male (1). » Eadem quæstio in controversiam venit quam quæ a Seneca perpenditur in libro de providentia ab his verbis incipiente : « Quæsiisti « a me, Lucili, quid ita si providentia mundus ageretur « multa bonis viris acciderent mala (2). » Lar vero Queroli alloquentis vitam recensens eum de furto, de adulterio et perjurio accusat. Qui cœlicolæ argumentis obrutus confitetur se ad vitia pronum esse, juvenilia libentius admisisse et meritam flagitiorum luere pœnam.

Deinde prodiens in scenam Mondrogerus rerum magi-

carum peritissimus, dum prolixa oratione artis suæ miracula profert, gentilis religionis mysteria acrius lacessit, sacerdotesque ipsos anserum qui templorum fores servant similitudine exprimit : « Pro hominibus, inquit, « perorant ante aras, tantum est quod vota hominum « interpretantur et male, precemque dicunt, sed res- « ponsa nunquam eligunt congrua (1). » Eodem loco cynocephali admissorum partes implent qui a potentium liminibus adeuntes arcent. « Ubi ignotus precator « templa petierit, hinc atque hinc multisono cuncti la- « tratu fremunt ; ut adeas, tantum dabis, ut perorare « liceat, multo plus dabis..... Quæ communia sunt et « gratuita vendunt foris ; istis omnibus litandum..... « mihique credite Deus facilius aditur quam prole co- « gnitus (2). » Ad hæc Pentomalus servorum imaginem ad vivum exhibet, eorumque lascivias et flagitia describit vi comica ipsi Plauto non impar. In dominos enim invehitur qui servis alimenta minuunt, opus plus justo imperant, tum in Querolum hæc inter multa alia convitia congerit : « Quid igitur optem domino, nisi ut faciat ipse quod facit, vivat ambitor togatus, convivator judicum, observator januarum, servulorum servulus, rimator circumforaneus, circumspectator callidus, speculator captatorque horarum et temporum matutinus, meridianus, vespertinus ; impudens salutet fastidientes ; occurrat non venientibus (3). »

Hæc quidem morum species etiam nunc legentes delectat. Ex quo fonte multa sumere in Vitalis potestate

(1) *Querol.* a Commel. edit., pag. 27.
(2) Ib., pag. 28.
(3) Ib., pag. 32.

fuit ; scilicet idem vel mores IV° sæculo in pejus ruentes, cives divitiis diffluentes servosque omni licentia corruptos, vel incultos suæ ætatis homines libidinibus et sævitiæ deditos ad libitum depinxisset. Quod quidem sane comico genere dignum si propositum habuisset, quamvis barbaris versibus horridaque oratione expressum nos etiam nunc doceret multoque majori voluptate detineret.

De altera vero fabula similia quædam animadverterim. Amphitryon philosophiæ disciplinam ediscendi causa Athenas profectus, non contemnendam rerum seriem suppeditat, quam multa festivitate, multoque lepore expedire operæ pretium fuit. Profecto enim poeta aliquis artis suæ intelligens ex hoc argumento opus vere novum et ex Amphitryone ob nimium philosophiæ amorem ab uxore decepto tanquam e visceribus rei omnem fabulæ tenorem eduxisset. Sed ne suspicatus quidem noster est quid in Amphitryone suo risus et cachinnos commovere posset. Itaque ei materia tanquam e manibus excidit.

II

Vitalis tamen carmina non omnino contemnenda : quippe quæ quasdam retineant virtutes quæ olim valde placuerunt et etiam hodie probantur. Ille enim dialecticorum argutiis enutritus, in *Amphitryonem* et *Aulularium* quidquid ex his delibaverat, transtulit. Quare cum utramque fabulam legimus, non solum ad memoriam controversiarum revocamur quibus illis temporibus tota pene Europa occidentalis commota est ; sed etiam scholas ingredimur discipulorum frequentia illustres atque attoniti inter audientes assidemus. Nihil enim præstantius

tum erat, nihil laude dignius, nihil quod magis cusjuslibet nomen commendaret quam de omnibus rebus, vel ut aiebant, de *omni re scibili* in utramque partem scienter atque perite disputare; et ea laus plerumque non intra ludorum parietes septa tenebatur, sed late per provincias attentis faventibusque animis excipiebatur.

Scimus quidem eos, qui philosophiæ disciplinæ principes haberentur, in disputando disserendoque peritissimos fuisse atque varias in familias divisos inter se dissentientes; quique *Nominales* dicebantur, iis popularis quædam fama accesserat. Multi enim hujus sententiæ erant, et ii quidem studiosi atque ad intricatam verborum sententiarumque subtilitatem exercitati vel maxime. Profitebantur tantum res singulas esse, easque per sensus menti et intelligentiæ innotescere, universalia autem mere esse vocalia atque voces quibus eadem universalia exprimerentur, ad nullas species seu ἰδέας referri posse.

Huic autem sententiæ se opponebat eorum familia qui non solum *Nominalium* iustituta refellebant, verum etiam singulis universalibus singulas cogitatas species seu ἰδέας respondere aiebant. Iidem docebant has rerum formas neque oculis neque auribus neque ullo sensu percipi posse, sed cogitatione tantum atque ratione contineri, neque gigni, sed semper esse, et quasi ex ipsa Dei intelligentia hauriri. Quibus adjungenda duabus tertia familia quæ medium quoddam iter ab utraque diversum secuta, Abailardo duce, principem locum sibi adjudicavit. Singulis quidem his disciplinis sui amatores erant, et traditum est eos magistrorum a quibus sese esse dicerent institutionibus atque præceptis ita inter se divisos, ut

per scholarum compita sererent certamina et sibi mutuo gravia inferrent vulnera. Vitalis autem non harum sectarum cuiquam sese addixit, nec earum instituta inter se contraria exposuit; sed disputationes acerrimas quibus publicæ scholæ interdum perturbabantur carpsit atque in ludibria vertit. Idem dialecticam profecto didicerat, et quanquam ejus miracula non explicat, indicat tamen se huic operam dedisse. Quod planius apparebit, cum dialecticorum præcipua instituta cum verbis a Geta *in Amphitryone* habitis contulero.

Ab Aristotelis *Categoriis* latine a Boetio expressis illius ætatis dialectici incipiebant et primum quærebant qualis esset substantia et quo modo varia corpora et animalia seu potius eorum essentia constitueretur. Substantiam iidem fingebant omnibus rebus communem esse, contrariaque in se suscipere, *et individua* formis aut accidentibus alia ab aliis differre. Unde quod prius fuerat Socrates, mutatis formis vel accidentibus, idem fiebat Plato, aut etiam quodcumque aliud animal. Nam homo qui dicebatur animal rationabile, sublata ratione, fiebat quodvis animal ratione carens, ut equus, bos vel asellus. Eæ quidem notationes uno alteroque confirmandæ testimonio. « Commune, inquit Abailardus, omni substantiæ in sub-« jecto non esse. Nulla enim substantia sive sit prima sive « secunda, fundamento sustentatur... Inest quoque subs-« tantiis nihil esse contrarium. Sive enim primæ sint, sive « secundæ, a contrarietate omnino sunt alienæ... Maxime « autem proprium substantiæ videtur esse, quod cum « sit unum et idem numero, contrariorum susceptibile « est : hoc enim inde proprie proprium Aristoteles dixit, « quod non solum omnibus, verum etiam solis substan-

« tiis competit. Quæ quidem sententia in eo pendet quod « quælibet substantia accidentium est susceptibilis, ut « videlicet eorum sustentamentum (1).» Guilelmus Campellensis docebat eamdem rem *essentialiter* totam simul singulis suis inesse individuis. Apud eum quidem hæc leguntur : « Homo quædam species est, res una essen- « tialiter cui adveniunt formæ quædam et efficiunt « Socratem; illam eamdem essentialiter eodem modo « informant formæ facientes Platonem et cætera in- « dividua hominis; nec aliquid est in Socrate, præ- « ter illas formas informantes illam materiam ad « faciendum Socratem, quin illud idem eodem tem- « pore in Platone informatum sit formis Platonis. Et « hoc intelligunt de singulis speciebus ad individua et « de generibus ad species (2). » His imbutus Geta merito ait a se omnia in formas ac species novas mutari posse. Quod utique perficietur mutando formas aut accidentia, eadem remanente substantia. Nec jam cuiquam in dubio est quin his *Amphitryonis* versibus ad medii ævi disputationes et argutias alludatur :

Sum logicus, faciam quævis animalia cunctos :
Byrrhia qui nimis est lentus, asellus erit....
.... res nequit ulla perire :
Quod semel est aliquid, hoc nihil esse nequit.
Cui semel esse datur, nunquam non esse licebit;
Sed faciem mutat, et novat esse suum (3).

(1) « Ouvrag. inéd. d'Abélard pour servir, etc., publ. par M. Cousin, pag. 174 et seq. »

(2) Ib., pag. 167.

(3) Ms^s. A., v. 167-176.

Sunt etiam alia ex dialecticorum controversiis hausta. Nam *Nominalium* secta ad eos qui *Reales* dicebantur impugnandos hoc argumento uti solebat : omne quod est, idcirco est quia unum est, et omne quod uno tempore multis commune est, unum esse non potest. At genus uno tempore multis commune est et simul in omnibus totum est ; ergo non unum est, ac proinde nihil est. Ad illud argumentum sæpius a *Nominalibus* adhibitum (1) utique referendum hoc *Amphitryonis* distichon :

> Omne quod est, unum est, sed non sum qui loquor unus,
> Ergo nihil Geta est, nec nihil esse potest (2).

Dialectici etiam duplicem vocum significationem esse, unam quidem de rebus, alteram autem de intellectibus docebant (3). Cujus præcepti quasi mentionem aliquam inesse dicas in his *Amphitryonis* versibus :

> Sed logici memorant, quod est vox una duorum,
> Atque duos nomen significat idem (4).

Nonne præterea ridiculum quodam modo est Amphitryonem inducere tanto philosophiæ amore flagrantem, ut hujus discendæ causa domi uxorem relinquat, quæ, viro absente, conjugii fidem violet, et eorumdem studiorum consortem servulum Getam qui Athenis rediens profiteatur se neque insumpti laboris neque temporis pigere ;

(1) Vict. Cousin testatur hoc argumentum ad evertendum *Realium* doctrinam medio ævo persæpe esse adhibitum et e Boetio eductum. (*Fragm. de ph. schol.,* pag. 96 et 185).
(2) Ms. A., v. 279-280.
(3) « Cum enim duplex sit significatio vocum una quidem de rebus, altera de intellectibus, etc. » (Vict. Cous. *Frag. de philosoph. schol.,* pag. 445).
(4) Ms. A., v. 259-260.

quippe qui tam enixe edoctus sit, ut doctor ipse evaserit. Vitalis mentem Byrrhia aperit, dum Getam inter se pugnantia promentem his verbis irridet :

Dissidet iste sibi ; modo fine carere probabat
Omnia ; cuncta modo fine perire dolet (1).

Nonne idem Getam Amphitryoni renuntiantem sese domo ab altero Geta expulsum esse audiens, ridicule et facete irridet :

..... Accepit Græcia sanos
Hos, ait, insanos illa remisit eos;
Insanire facit stultum dialectica quemvis :
Ars ea nunquam sit, Byrrhia, nota tibi (2).

In *Aulularia* vero etiam reperias quæ laudes. Etenim argutiæ et cavillationes philosophorum in hac fabula quoque reprehenduntur, sed minus facete. Poeta ipsam philosophiam et optimos antiquitatis magistros acrius lacessit, quasi ex eorum institutis omnia mala ortum habuerint.

Quam varios hominis mens conscia quærere verum
Edidit errores. Vera latere volunt.
Jupiter his hominum suspendit pectora curis,
Ne foret ex aliqua parte beatus homo.
Ausus in arcana naturæ erumpere Plato,
Unum deprendit, et docet esse deos...
Somnia Platonis innexa ambagibus odi,
Dum studuit canere non capienda mihi (3).

Deinde exponit his subobscuris verbis æternum esse rerum ordinem quem ratus ordo explicet et resolvat :

(1) Ms. A., v. 183-184.
(2) Ib., v. 454-458.
(3) *Aul.*, v. 65-80.

Ordinis æterni series angustat et arcet;
Res Jovis edicto quaque jubentur eunt.
Ordinis est ordo : qua mentem respicit, hæret;
Qua resolutus abit, ut moveatur habet.
Implicitum mentis ratus explicat ordo; vagatur
Hac errore vago, nec sine lege meat (1).

His quidem versibus conferre licet quæ e Bernardi Carnotensis libro, cui *Megacosmus* titulus est, excerpsimus, quæque cum Platonis disciplinis aliquam cognationem exhibent : « Ex mundo intelligibili mundus sensilis, « perfectus natus ex perfecto... Ab æternitate tempus « initians, in æternitatis resolvitur gremium, longiore « circuitu fatigatum. De unitate ad numerum, de stabi- « litate digreditur ad momentum... Has itaque vias itu « semper redituque continuat (2). »

Digna hæc quæ notentur; nam Vitalem indicio sunt Platonis instituta saltem leviter cognovisse. Nec mirum : sæculo enim XII° non adhuc Aristoteles unus in scholis regnabat. Sed dialogus, cui *Timæus* nomen, a Chalcidio latine translatum in manibus erat, et a dialecticorum magistris explicabatur (3).

(1) *Aul.*, v. 65-80.

(2) Victor Cousin, *Fragments de ph. scholast.*, pag. 344.

(3) Ib., pag. 371 : « On sait que le *Timée* de Platon était « connu par le commentaire de Chalcidius au moins dès le VIIIe « et le IXe siècle, puisqu'on le trouve dans des manuscrits qui « remontent à cette époque. On sait aussi que les doctrines qui « y sont exposées étaient devenues, au XIIe siècle, un sujet « d'étude et de controverse. L'influence des théories platoni- « ciennes est visible dans Bernard de Chartres, etc. »

CAPUT SEPTIMUM

QUAM LAUDEM VITALIS CARMINA EJUS ÆTATE CONSEQUENTIBUSQUE SECULIS ASSECUTA SINT.

Vix in lucem prodiere Vitalis carmina cum singularem quemdam favorem sibi conciliavere. *Aulularia* quidem valde probata est, teste ipso auctore (1), sed *Amphitryon*, in primis. Jam supra dixi hujus fabulæ auctoritatem, XII° sæculo nondum peracto, a Matthæo Vindocinensi esse allatam, ut quæ vocis *lentus* esset genuina ac propria significatio explicaretur, consequenti autem sæculo ab Everardo Alemanno *Amphitryonem* classicis scriptoribus annumeratam esse. Eodem fere tempore Jeremias Paduanus auctorem libelli qui incipit *Græcorum studia* scriptorum indici adjunxit ex quibus se ait *Compendium moralium notabilium* compilasse.

Idem poema XV° sæculo exeunte a quodam non ignobili versificatore, cui nomen *EustachiusD eschamps*, gallice expressum est et inscriptum *Le Traicté de Getta et d'Amphitryon*, novamque meruit laudem. Nec immerito. Nam hæc translatio non ex primis operis versibus prolixiori quadam et subobscura oratione enuntiatis, nec ex aliis quibusdam locis, quorum verus ac genuinus sensus interpretem effugit, æstimanda est. Qui plerumque auctoris mentem verborumque vim ac significationem penitus introspexit feliciterque reddidit. Sæpe etiam firmus et ner-

(1) Vide *Aul.* prolog., v. 26-27.

vosus ejus sermo neque elegantia neque venustate caret. Nec paucos versus animadverteris lucida et diligenti brevitate conspicuos. Quo in genere in primis ii laudandi quibus Getæ mores, indoles vitaque omnis effinguntur. Uno verbo liber ex omni parte lectione dignus, nec minimæ utilitatis quum loca latini carminis ambigua et obscura explananti, tum optimas codicum lectiones eligenti. Servantur quidem in ingenti bibliothecæ parisiensis codice omnia poetæ *Eustachii Deschamps* opera (1). Ex quo codice eruditus vir nomine *marchisus de Queux de Saint-Hilaire* carmen, cui titulus *Le Traicté de Getta et d'Amphitryon*, extulit et litterariis thesauris gallice dictis, *cabinet du Bibliophile*, inseruit (2). Pars fabulæ dialogo explicata nominibus actorum inter se confabulantium indicatur; altera vero ab ipso interprete more historico narrata et pronuntiata vocabulum « actor » præfert.

Eadem *Amphitryon* fabula etiam in linguam italicam olim est translata; quam translationem e poetæ *Boccace* manibus excidisse diutius credidere. Re autem proximo sæculo diligentissime conquisita et pensata, confirmatum est a duobus italicis versificatoribus nomine Ghig. Brunelleschi et Dom. de Prato (3) libellum esse confectum. Quem non semel quondam typis traditum vix hodie reperias. Nec nimis ægre hoc damnum ferendum ; nam prudentissimi æstimatores translationem illam insulsam esse atque ineptam testantur (4). Deinde Vitalis nomen et

(1) Fonds panc., 840.
(2) Le *Traicté de Getta et d'Amphitryon*, emissum a marchiso de Queux de Saint-Hilaire.
(3) Ib., pag. IX.
(4) *Histoire litt. de la France*, tome XXII, pag. 48.

carmina diuturna oblivione jacuerunt. Eamdem vero fabulam jam vidimus, non semel nostra ætate esse in lucem editam. Quare quum cæteri tum in primis Osannus atque Mullerus in præfationibus suis non paucas quæstiones vel ad auctoris ætatem vel ad ejus scripta pertinentes accurata eruditione pertractarunt. Ambo quidem *Amphitryonis* codices (nam *Aululariæ* nullus tempus pertulit) servatos in præcipuis Europæ bibliothecis recensuere et notos fecere (1). Jam vero eorum qui in Bibliothecæ parisiensis thesauris reperiuntur doctissimam notitiam suæ editioni Anat. de Montaiglon præscripsit.

Osannus etiam primus omnium non contemnendis quibusdam testimoniis, quæ supra pro virili parte æstimavi, Vitalem ad XII^um^ sæculum medium exstitisse demonstravit; eumdem vero quem Mullerus recte non recentiorem, sed perperam ad X^um^ aut XI^um^ sæculum esse referendum putat.

Vitalis carmina scriptores historiæ quæ gallice dicitur *Histoire littéraire, etc.* non silentio prætermisere. Nam tomus XV^us^ lucidam atque accuratam habet *Aululariæ* expositionem in qua hæc fabula cum *Querolo* ad cujus exemplum expressa est, confertur (3). De *Amphitryone* autem caput eximiæ eruditionis plenum J. V. Leclerc conscripsit (4). Qui in unum, ut ita dicam, corpus doctrinæ ea collegit quæ ab aliis antea prolata atque certis indiciis confirmata erant. Quin etiam plurima ex se ipso extulit, alia autem incerta et dubia reliquit. Hoc quidem

(1) *Histoire litt. de la France,* tome XXII, pag. 48.
(2) Vid. Vital. eclog. ab Osan. edit. pag. XI-XII et Analect. Bern. part. II, pag. 11-13.
(3) *Hist. litt.*, tom XV, pag. 421 et seq.
(4) Ib. Tom. XXII, pag. 42-49.

caput primum varias editiones quæ nostra ætate in lucem prodiere enumerat; deinde exponit fabulam ex omnibus partibus diligentissimo et optimo judicio consideratam; tandem referuntur ii qui, procedente tempore, Vitalis *Amphitryonem* imitati sunt. Subjungitur etiam cujusdam fabulæ quæ *comœdia Babionis* inscribitur expositio. Quam quidem fabulam vir doctissimus ex Britannia Vitalis Blesensis esse libenter putaverit, quippe quæ hujus carminibus in bibliothecæ Bodleianæ codice adjecta legatur; simili quadam ratione olim in catalogo codicum philologorum latinorum bibliothecæ palatinæ Vindobonensis Matthæo Vindocinensi Vitalis *Amphitryonem* Endlicherus adscripsit (1). Sed *comœdia Babionis* neque Vitalis est, neque ei ab ullo alio auctore, neque a J. V. Leclerc de plano tribuitur. Hic enim eamdem hoc loco tanquam incerti auctoris exposuit.

Ex his quidem intelligitur non levem operam nostra ætate Vitali ejusque carminibus esse datam. Latinitatis tamen et versificationis judicium ab omnibus fere neglectum nemo inficias eat. Quare ego has res, ut potui, notandas atque explicandas curavi.

(1) Vid. Anal. Bern., pag. II, not. 24.

CONCLUSIO

Emensum spatium quasi uno cogitationis atque judicii conjectu resumendum est. Floruit quidem Vitalis ad medium XII^{um} sæculum et primum *Amphitryonem*, deinde *Aulularium* emisit. Utramque fabulam ad Plauti imitationem sese expressisse perperam putavit. Nam in *Aularia* scribenda non plautinam ejusdem nominis fabulam in exemplum intuitus est, sed librum quemdam ab incerto IV^{i} aut V^{i} sæculi auctore profectum quem diximus medii ævi temporibus illi veteri comico ab omnibus tribui solitum. Veri etiam simile est Vitalem incidisse in eumdem errorem, cum festivam fabulam *Amphitryonem* conscripsit. Getam enim ex Athenarum scholis redeuntem, non magis quam Querulum Euclionis filium a Plauto desumptum esse crediderim, sed opus aliquod Plauti nomine usurpatum nec multum forsan a Queroli genere diversum tum exstitisse suspicari licet, ad cujus exemplum *Amphitryonem* noster elucubraverit. Si autem ad illius antiqui comici imitationem Vitalis omnes ingenii vires direxisset, fabulasque noctes atque dies in manibus habuisset, haud cuiquam in dubio est quin inter utrumque poetam aliqua agnosceretur cognatio, etiamsi non de industria quæsita; hic ab illo utique verborum colorem vimque sententiarum mutuatus esset atque etiam invitus retinuisset. Ejusmodi vero imitationis nulla reperias vestigia. Quare libenter existimaverim Vitalem nunquam Plauti fabulas vel levissime inspexisse. Qui eruditissimi illis temporibus habebantur, in cœlum laudibus Plautum et Terentium latinæ comœdiæ principes tollebant, eorum-

que amatores atque studiosos esse sese profitebantur. Sed fabularum quæ ætatem pertulerant exemplaria adeo rara erant, ut vix repertæ non nisi magno pretio emerentur (1). Traditum est etiam illos insignes poetas Plautum nempe et Terentium a multis celebrari solitos qui nunquam eorum opera legissent, sed tantum nomen novissent (2). Itaque eis scripta tribuebant quæ ad eorum

(1) Admodum pauca in usu erant XI° sæculo veterum scriptorum exemplaria : « Le dixième siècle n'avait pas été suffisant « pour réparer les pertes de livres qu'avait souffertes la France « dans les courses précédentes, les pillages, les incendies des « Sarrasins, des Normands, des Hongrois, des Bulgares. Lors« qu'on eut travaillé à renouveler ces livres, ils étaient encore « fort rares, ce qui rendait les études très difficiles. D'ailleurs, « n'y ayant presque que des moines qui s'occupaient à les copier, « ils commencèrent par ceux qu'ils croyaient plus nécessaires : « la Bible et les livres liturgiques, les écrits des Pères, les re« cueils des Canons. Ainsi il se passa du temps avant qu'ils « pussent transcrire les historiens, les poëtes, les orateurs. Et « le défaut de ces ouvrages contribua beaucoup aux mauvaises « études et à la barbarie qui y régnait. On avait cependant « de cette sorte d'auteurs, mais ils n'étaient pas communs. Un « trait que l'histoire nous a conservé touchant le prix excessif « des livres en ce temps-là, nous doit faire juger de leur rareté. « Encore s'agit-il d'un auteur ecclésiastique, le recueil des « homélies d'Aimon d'Halberstat. Grecie, comtesse d'Anjou, « l'acheta deux cents brebis, un muid de froment, un autre de « seigle, un troisième de millet, et un certain nombre de peaux « de martre. Il fallait être riche pour former de nombreuses « bibliothèques au même prix. » (*Hist. litt. de la France*, t. VII, pag. 3.)

(2) Edelestand du Méril, *Origines latines du théâtre moderne*. Int., pag. 33 : « Les connaissances classiques étaient devenues « une sorte de curiosité qui n'appartenait plus qu'à de rares « érudits... et beaucoup tranchaient du savant en parlant des « anciens comiques, qui ne connaissaient rien que leur nom. « Les plus lettrés eux-mêmes ignoraient jusqu'à l'idée et la « forme de leurs ouvrages. »

imitationem rhetores elaboraverant, nomen vero proprium, alieno supposito, reticebant. Quo genere erroris Vitalis deceptus est. Quin etiam ea erat illius ætatis inscitia et barbaries ut quale esset opus scenicum ignoraretur. Qui ad tragicam comicamve artem ingenium ac studium converterant, his ipsis vocibus sensum ab illo prorsus diversum accommodarunt, quem utrumque carminis genus apud antiquos obtinuerat. Tragœdia enim inscribebatur narratio alicujus rei flebilis, luctuosa, horribilis; comœdia vero, fabula versibus expressa et ridicule enarrata. Morem igitur qui invaluerat Vitalis secutus, *Amphitrynem* atque *Aululariam* comœdias vocavit, quanquam eas neque docere neque doceri voluit atque iisdem nulla cum scenicis operibus sunt communia.

Sua tamen carmina non omnino iis scriptoribus debuit ad quorum exempla sunt expressa ; sed pauca ex se ipso elata adjecit felici quadam inventione, eaque in primis laudanda. Dum enim inanes philosophorum controversias atque disputationes multis salibus ac facetiis insequitur, etiam nunc legentium animos, non sine voluptate, ad illa acerrima dialecticorum studia revocat, quibus noctes atque dies plerique tenebantur.

Vitalis igitur nonnulla laude dignus et adscribendus eorum numero videtur qui de humanioribus litteris bene meruerunt. Tempora enim quibus scripsit, bello magis quam liberalibus studiis favebant, litteræque a multis despiciebantur. Ne ergo mireris ejus carmina vitiis abundare, iisdemque non dulcibus, ut Quintiliani verbis abutar, sed potius habe prodigii loco quum Vitalem tum alios scriptores non paucos exstitisse in altissimis XII[i] sæculi ineuntis tenebris, qui poeticæ elocutionis laudem

quamdam assecuti sint. Noster enim quantum in eo fuit, magna antiquitatis ingenia imitatione prosecutus, nec optimas illas disciplinas barbarorum armis et incendiis tam dia perturbatis omnino extingui passus est, lumenque ingeniosæ eruditionis non admodum indocta manu acceptum, pro virili parte retinuit et fovit ; itaque merito in eorum numerum referendus est, ad quos celebrandos transferri solet notissimum illud Lucretii poetæ :

Et quasi cursores vitaï lampada tradunt.

FINIS.

INDEX

Vidi ac perlegi
Lutetiæ Paris. in Sorbona
A. d. IV Kal. nov. an. MDCCCLXXIX
Facultatis Litter. in Acad. Par. decanus,
H. WALLON.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis rector,
P. GRÉARD.

ROTHOMAGI. — EX TYPIS GIROUX ET FOURREY, VIA DICTA DE L'HOPITAL, 25.